


PALAESTRA

LATINA



ANN. XXXIII (Fasc. I) — N. 181
M. MARTIO — A. MCMLXIII

PALAEstra LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii BARCINONE edendi

PRETIUM MITTATUR OPORTET AD ADMINISTRATOREM:

Lauria, 5 - Apartado 1042 - BARCELONA (10)

vel ad Procuratores singularum nationum

Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - Barbastro (Huesca)

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetas; in Gallia: 10 francs; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus.

PALAEstra ADULESCENTIUM: Constat in Hispania et America Hispanica: 25 pesetas; in Gallia: 3'5 francs; in Italia: 350 libellis; in Germania: 2'5 marcis; in reliquis civitatibus: 0'80 dollars.

Depósito Legal L - 12 1958

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

INDEX

ANN. XXXIV (Fasc. I) N. 181

M. MARTIO A. MCMLXIII

C. EICHENSEER, O. S. B., <i>De pronuntiatu latino</i>	1
N. MANGEOT, S. J., <i>Venantius Fortunatus</i>	10
J. AMBROSI, <i>Nox ultima mundi</i>	17
R. SCHMITT, <i>De Petro Juliano Eymard Sacerdote, Novo Ecclesiae Sancto</i>	31
L. M. SANSEGUNDO, O. S. B., <i>Nova et Vetera: Colloquium de tabaco Epistularum inter socios commercium</i>	33
J. ARAMENDIA, C. M. F., <i>Per Orbem</i>	38
BIBLIOGRAPHIA, I. González, A. Marqués, <i>Philoponus, Aramendia, Mir</i>	47
	50

PALAEstra ADULESCENTIUM

Julius A. Marqués, <i>Scitisne quid atomi sint?</i>	57
Gregorius Joseph, O. S. B., <i>Caecus</i>	58
M. Molina, C. M. F., <i>Romanorum ad furculas Caudinas clades (II)</i>	60
Eduardus Segura, <i>De amicilia</i>	62
Remigius Chamelar, <i>De divina animorum origine</i>	62
Petrus Miguelez, <i>Exempla trahunt</i>	63
C. Aramendia, <i>Canticum</i>	64

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII
A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

ANN. XXXIII (FASC. I) — N. 181

M. MARTIO

A. MCMLXIII

De pronuntiatiu latino

Jam in Avennico conventu (3-6 Sept. 1955) et iterum in conventu Lugdunensi (8-10 Sept. 1959) multum diligentissime de litterarum appellatione vere latina disputatum et actum est. Ibi etiam atque etiam commendatur, ut ea ratio litteras enuntiandi, quam dicunt sive restitutam sive «classicam», consuetudine communi et cotidiana magis magisque in usum inducatur, quippe quae sit verbis latinis recte proferendis perquam congruens atque connaturalis.

Mense autem Julio illi Constitutioni Apostolicae die 22.^o mensis Februarii in publicum propositae¹, qua studia latinitatis excitarentur colerenturque, ordinationes quaedam, quae dicuntur, subjunctae sunt². Ibi *de linguae Latinae pronuntiatione* leguntur haec quae sequuntur:

«Quod ad pronuntiandi rationem attinet, quamvis nihil detrahendum sit ei, quam 'classicam' vocant, quaeque, cum sit in pluribus celsioribus praesertim scholis recenter restituta, utique cognoscenda est, attamen, ut jam S. Pius X et Pius XI monuere, ea pronuntiatio, uniformitatis causa, in usu retineatur, quae 'romana' dicitur, quippe quae non modo 'intime conexa' sit cum instauratione cantus gregoriani, ad cuius numeros modosque formandos multum valuit usitata eo tempore ratio accentuum et pronuntiationis linguae Latinae', et maxime apta 'ad unitatem liturgicam in dies solidan-

1. Johannes XXIII, Const. Apost. *Veterum Sapientia*, 22 Febr. 1962: AAS (= *Acta Apostolicae Sedis*) 54 (1962) 129-135; cf. *VITAM LATINAM* n. 16 (Maij. 1962), p. 22 (adn. 44).

2. *Sancta Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus* (Josephi + Card. Pizzardo), *Ordinationes ad Constitutionem Apostolicam «Veterum Sapientia» rite exsequendam SACRUM LINGUAES DEPOSITUM*, 22 Apr. 1962 (in Resurrectione Domini): AAS 54 (1992) 339-368.

dam', sed etiam sit in usu numquam intermisso in Ecclesia et in plurium gentium scholis a saeculo circiter quarto, ita ut fere internationalis seu communis evaserit; sitque insuper pronuntiatio, qua legebantur ecclesiastica documenta cum exarata sunt, qua igitur legi etiamnunc debent,³

Haec ergo qui legerit, fortasse putabit in hoc monumento seu decreto pronuntiatum restitutum non satis magni aestimari. Tamen qui comparaverit scripta superioris aetatis inde a saeculo vicesimo ineunte evulgata, quae aut a Summis Pontificibus ipsis aut ipsorum mandatu per scribas eorum sunt edita, facile cognoscat, quorsum res sit mutata.

Atque primum quidem Pius X, Summus Pontifex Romanus, die 10^o mensis Iulii anno 1912 ad Ludovicum Ernestum Dubois, archiepiscopum Bituricensem⁴, qui fuit postmodum archiepiscopus Parisiensis, epistulam dedit, qua illi respondit ad epistulam die 21^o mensis Junii datam de modo qualitateque pronuntiatus interrogatus. Nam hac in re inter illos viros, qui monitu Pii X¹ cantum Gregorianum hic illic jam aliquatenus neglectum ad pristinum splendorem revocare studebant, difficultates non parvae pronuntiatum congruentiorem eligendi emergebant. Quam quaestionem ille ita dissolvit, ut statueret propter unitatem liturgicam in Francogallia necessario servandam pronuntiatum romanum, id est morem, quo Romani aetatis nostrae litteras appellare solent, usu esse recipiendum.⁵

Similiter in eadem re controversa Antonius Maria Marçet, abbas Montis Serrati, Benedictum XV, qui in locum Pii X¹ successerat, consuluit, ut unitatem monachorum partim Hispanorum partim Catalaunorum in discrimen vocatam custodiret, quo certius difficultates objectas eluctaretur. Cui viro amplissimo Petrus Gasparri, Pater Cardinalis, jussu Benedicti XV¹ duabus epistulis, quarum altera die 31^o mensis Iulii altera die 13^o mensis Septembris anno 1919 data erat, pronuntiatus modum hodiernum romanum adhibendum esse rescripsit⁶. Idem Augustino Leynaud, archiepiscopo Algeriensi, qui de eadem re dubia Sedem Sanctam appellaverat, die 26^o mensis Augusti anno 1919 simile responsum reddidit⁷. Eandem sententiam pronuntiavit

3. AAS 54 (1962) 345: *Ordinationes*, cap. I (*Normae generales*), art. IV.

4. = Bourges.

5) Cf AAS 4 (1912) 577 sq.: Ad R. P. D. Ludovicum Ernestum Dubois, Archiepiscopum Bituricensem: *De latino sermone juxta romanum usum pronuntiando*.

6. Cf. commentarios «Vitae Christianae» vulgo *Vida Cristiana* [Montserrat] n.º 51 (1920) 239 sq.

7. Cf. commentarios quibus index «Septimana Religiosa Algeriensis», i. e. *La Semaine Religieuse d'Alger* 19 (1919) 642 sq. — Leo Stephanus Duval, archiepiscopus Algeriensis Excellentissimus et Reverentissimus, pro sua comitate mihi per Johannem Tissot, Dominum admodum Reverendum, hunc textum benignissime descriptum misit (8 Aug 1958). Gratias eiis hoc quoque loco ago non mediocres.

sacerdotis cujusdam Belgae opus de pronuntiatu romano iterum typis exscriptum laudibus prosequens magnis⁸.

At omnes hae epistulae non sunt latine conscriptae, sed aut francogallice aut italice, neque sunt in commentariis universalibus divulgatae praeter illud Pii X¹ monumentum.

Denique Pius XI litteris quibusdam latine exaratis die 30^o mensis Novembris anno 1928 Ludovicum Ernestum Dubois, Cardinalem Parisiensem, de cantu chorali restaurando atque de pronuntiatu hodierno romano optime meritum multimodis laudibus prosecutus est. Jam paulo ante in similem sententiam epistulam idem pontifex maximus ad archiepiscopum Parisiensem scripserset⁹. Ait cum alia tum haec: «Itemque propositum tuum plurimi facimus, tuos semper adhortandi ut romano more latinam linguam pronuntient. Quapropter, non modo, haud aliter ac decessores Nostri f(elicis) r(ecordationis) Pius X et Benedictus XV, romanam latinæ linguae pronunciationem probamus, sed etiam optamus vehementer ut omnes cujusvis nationis episcopi eam in liturgico cultu peragendo sequi velint». Sed haec epistula non est evulgata nisi in ephemerede quadam Parisiensi¹⁰.

Praeter has epistulas pontificias, quas attulimus, non inveniuntur instrumenta publica, quibus Romanorum hujus aetatis mos pronuntiandi commendatur¹¹. Sed verbis harum epistularum, quas singillatim recensuimus, ne commemoratur quidem litterarum appellatio classica seu restituta.

Primum autem decretum ecclesiasticum universale, quod non solum latine conscriptum est, sed etiam in Actis, quae dicuntur Apostolicae Sedis, id est, in commentario officiali Vaticano, foras datum, monumentum est summae praestantiae gravitatisque, quo clerici theologique jure meritoque monentur, ut pronuntiatum classicum eundemque vere latinum ne horreant, sed utique diligenter cognoscant.

8. Cf. commentarios qui inscribuntur «Quaestiones Liturgicae et Paroeciales», vulgo *Les Questions Liturgiques et Paroissiales*, [Louvain = Lovanii] 5 (1919-20) 269: Abbe Delporte de Roubaix (10 Jun. 1920).

9. Cf. AAS 21 (1929) 619-621: Chirographus ad Emum. P. D. Ludovicum Tit. S. M. in Anquiro S. R. E. Presb. Card. Dubois, Archiepiscopum Parisiensem (25 Aug. 1929).

10. «Hebdomas Religiosa», i. e. *Semaine Religieuse* 1929. — Mauricius Feltin, Cardinalis Parisiensis Eminentissimus et Reverentissimus, qua est benignitate mihi textum originalem integrum per Franciscum Guèdon, Dominum admodum Reverendum, comissime suppeditavit (23 Jun. 1958). *Gratias eis hic quoque ago quam maximas.*

Cf. translationem francogallicam in commentariis de Cantu Gregoriano, vulgo *Revue du chant Grégorien* [Gratianopolis] 33 (1929) 69 sq.

11. Cf. quae comprehendit Aemilius Springetti, ubi de lingua latina agit in commentariis, qui MONITOR ECCLESIASTICUS inscribuntur quique Romae eduntur, 76 (1951) 659-676. Pag. autem 674 ait: «Illa erit [pronuntiandi ratio] sequenda, quae romana vocatur quaeque universalius in usu est et ipsa Ecclesiae Romanae auctoritate commendatur». Cf. ibidem adn. 15.

Cf. MAROUZEAU, Jules, *La prononciation du latin* 4, Paris 1955, p. 17 19.

Verum elementa pronuntiatus classici plurimis locis apud non paucos scriptores auctoresque Christianos posteriorum etiam saeculorum certo deprehenduntur. Quae res tanti videtur esse momenti, cum hac quoque ex parte minima in modum pronuntiatus restitutus commendetur, ut saltem paucis exemplis allatis haec rerum dilucidetur condicio. Primo autem aspectu in c littera diversimode prolatâ summa varietas pronuntiatus videtur esse posita. Nam sonus hujus litterae alibi aliter in sibilum vertitur. Romani autem aureae, quae dicitur, aetatis c litteram i vel e vocalibus aut ae vel oe diphongis praecedentem non aliter enuntiabant atque iis locis, quibus a vel o vel u sequebantur, id quod et inscriptionibus graecis et homoeoprophoris et linguis quibusdam romanicis et vocabulis mutuatis seu mutuaticis¹² satis superque comprobatur. Itaque in graecarum inscriptionum vel litterarum monumentis exempli gratia leguntur haec:

INSCR. graec. VII 413, 9 ΛΙΚΙΝΙΟΣ, 413, 9 ΣΑΚΕΡΔΩΣ. 413, 10 ΟΥΟΛΥΣΚΙΟΣ (= Volscius), 413, 12 ΚΙΚΕΡΩΝ. APPIAN. *Pun.* 75 Λεύκιον Μάρχιον Κηγωρίνον. *civ.* 1, 71, 328 Κηγωρίνος... Κίνναν. 1, 88, 401 Μάρχιον. Similiter in Novo Testamento scripta sunt haec: MARC. *evang.* 15, 39 κεντυρίων (VULG. centurio)¹³, PAUL. II *Tim.* 4, 10 Κρήσκης (VULG. Crescens).

In monumentis autem latinis Christianorum saepissime c littera ut k enuntiata legitur, velut his locis: INSCR. *Revue archéologique [Parisiis]*, 6.^a serie, 2 (1933), p. 425, n. 220 (Africa) in OK TVMVLO IAKET KORPVS BN M RVI... RVS QVI PER GLADIVM INDOMITEM OKISVM BIXIT IN PAKE PLVS MINVS ANNOS XXV REKESSIT DE OK SEKVLO SVB DIE VI M DEKEMBER INDICTIO XIII AMEN¹⁴.

INSCR. christ. ΔΙΕΗΛ 2502 ΚΡΗΣΚΕΝΤΙΝΑ ΕΝ ΠΑΚΕ.

2502 adn. ΡΟΥΦΙΛΛΑ ΙΕΝ ΠΑΚΕ, ΦΡΟΓΤΩΣΑ ΕΝ ΠΑΚΕ, ΣΕΚΟΥΔΙΝΑ ΙΝ ΠΑΚΕ. 2544 [I]ΟΥΣΤΑ. ΔΟΓ[Λ]ΚΙΣ ΑΝΙΜΑ, ΕΙΝ ΠΑΚΕ.

4469 [Αλεξ] ΑΝΔΡΙΑ ΔΟΥΚΙΣ... IN ΠΑΚΕ. 2300 A BIΞIT IN ΠΑΚΕ ANNIΣ ΒΙΓΙΝΤΙ. INSCR. LE BLANT¹⁵ n. 344 (p. 460) QVI VIXIT IN PAKE. INSCR. KRAUS¹⁶ n. 30 (p. 18) QVI VIXIT IN PAKE¹⁷. ATHAN. *apol.* Κεχιλιανοῦ (PG 25, 557 A), Κελεστίνος, Κυπριανός (PG 25, 337 C), Ούρσιχιος,

12. Cf. LINDERBAUER, Benno, *De verborum mutuatorum et peregrinorum apud Ciceronem usu et compensatione*, Mettene 1891 /92.

13. Cf. LATINIT. I (1953) 267 (Ricciotti); BLASS-DEBRUNNER, *Grammatik des neutestamentlichen Griechisch* 10, Göttingen 1959, § 41 (p. 29 sq.).

14. Hic titulus saeculo quinto conscriptus est.

15. LE BLANT, Edmond, *Inscriptions chrétiennes de la Gaule antérieures au VIII^e siècle*, tom. I, Paris 1866.

16. KRAUS, Franz Xaver, *Die alchristlichen Inschriften der Rheinlande*, Freiburg/Br. 1890.

17. Ibersheim, prope Borchtemagum seu Vormatiam (= Worms).

Λούκιλλος Μαρχελμῖνος, Οὐέντιος, Λούκιος (PG 25, 337 A). PROC. Vand. 1, 21, 18 ἦν δὴ Κυπριανὰ καλοῦσιν χτλ. [saec. VI p. Chr.]¹⁸.

Eadem res etiam innumerabilibus homoeoprophoris confirmatur, velut his locis: VULG. *Luc.* 16, 6 sq. centum cados olei, centum coros tricici. *I Cor.* 4, 11 colaphis caedimur. 15, 40 corpora caelestia. *act.* 12, 7 ceciderunt catenae. *psalm.* 28, 5 vox Domini confringentis cedros. 54, 15 capiebat cibos (*I Sam.* 1, 7 capiebat cibum). 67, 19 cepisti captivitatem. 88, 6 confitebuntur caeli. 90, 1 in protectione Dei caeli commorabitur. 126, 1 custodierit civitatem (*cant.* 3, 3 qui custodiunt civitatem). 105, 30 cessavit quassatio. 106, 36 constituerunt civitatem. 128, 4 concidit cervices. 139, 10 caput circuitus eorum. *Is.* 45, 18 Dominus creans caelos. *II par.* 7, 13 clausero caelum. *thren.* 5, 16 cecidit corona capitis nostri. 2, 10 b consperserunt cinere capita sua *cant.* 2, 7 capreas cervosque camporum.

TERT. *apol.* 6, 8 Cynocephalo Capitolio. 7, 4 coetibus et congregationibus. MIN. FEL. 23, 7 caelo consecratum. ARNOB. *nat.* 1, 2 neque caelum coartatur. 1, 12 caeli convexione. 3, 14 caelestium corpora, quosdam capitones cilunculos. AMBR. *in Luc.* 5, 14 coepit quies esse. 5, 44 adverte caeleste consilium. 5, 60 ut cum legitime certaverit coronetur. *sacr.* 5, 4, 20 caelum est ibi, ubi culpa cessavit. *Virginit.* 14, 90 ex caelesti custodum natura. 12, 71 cincinnos corporalium capillorum. ANONYM. *hymn.* 2, 7 p. 106 (ed. BULST) Pater, qui caelos contines, cantemus nunc... HIER. *in Matth.* 1, 19 (PL 26, 24 C) cum crimen celat uxor. 5, 13 (PL 26, 35 C) in ciborum condimentum. AUG. *soliloq.* 2, 1 (PL 32, 885) cedo conclusioni. *conf.* 4, 2, 3 theatrici carminis certamen. 4, 14, 23 certus confiteor tibi. 8, 6, 15 affigentes cor caelo manse- runt in casa. *trin.* 11, 12 (PL 42, 994) in cogitatione cum cernitur. *serm.* 69, 2 (PL 38, 441) magnam fabricam construere celsitudinis. 242, 1 (PL 38, 1139) consuetudo cernendi. *catech.* *rud.* 16, 25, 9 contentiosa certamina. 24, 44, 2 cervice conversa. 26, 51, 6 cetera contexenda. *in euang.* *Joh.* 51, 12, 4 (CChL 36, 444) cenanti cibum coquere. *civ.* 2, 28, 6 casta celebritate. LEO. M. *serm.* 51, 3 (PL 54, 310) communem illam cum ceteris corporis formam. 73, 4 (p. 396 B) creaturarum caelestium dignitatem. VINCENT. LER. 5, 8 quadam conspiratione certarent. 6, 9 cum ceteris quidem collegis. VAL. CEM. *hom.* 20, 2 (PL 52, 752 C) ad caelum collum portare. GREG. M. *in euang.* 9, 1 (PL 76, 1106 B) in caelo collocatur. 22, 2 (p. 1175 A) cucurrit citius... prae ceteris cucurrit. SACR. *Gelas.* 1, 28 (ed. WILSON, Oxford 1894, p. 43) caelestia capiamus. Cf. clausulam praefationis liturgicae: qui non cessant clamare cotidie.

Haec series exemplorum contexi potest usque in infinitum. Sed etiam aliis ex conditionibus litterae sonus durior non in sibilum conversus colligi potest. Nam Hieronymus in libro, qui inscribitur «Hebraicae quaestiones in

18. Cf. ThLL. *Onomast.* II C, 795, 40. Cf. PALAESTRAM LAT. n. 161: 28 (1958) 309 sq.

libro *Geneseos*, et in alio, cui index «Liber interpretationis Hebraicorum nominum», ut in multis aliis commentariis, non raro proprietates elementorum Hebraicorum describit, ex quarum explicationum modis comparatis natura sonorum quorundam latinorum reperiri potest¹⁹. Ibi exempli gratia dicit haec: «De K superfluum est mentionem facere, cum etiam apud latinos, exceptis Kalendis, superflua judicetur²⁰. Ceterum ibi nomina Hebraica secundum ordinem litterarum (seu alphabetum) disposita tractantur. Sed, quamvis ille c aspiratum et non aspiratum diligenter distinguat²¹, nullo loco c in sibilum versum a c in sibilum non verso dirimit. Itaque exempli gratia haec nomina indiscriminatim componit: Cain, Cainan, Citii, Carnaim, Cades, Cinaei, Cenez, Cedmonaei, Camuhel, Cedar, Cedma, Core, Caath²².

Similiter etiam omnia nomina, quae a g littera incohantur, singulis locis indiscriminatim comprehenduntur. velut haec: Geon, Gomer, Gergesaeus, Gerara, Gaza, Gomorra, Gether, Gebal, Geraris, Gaam, Gad, Galaad, Gatham, Gesen, Gersan, Gera, Guni²³. Et alio loco: Gazer, Gosnam, Gaza, Gessor, Galiloth, Gazaeo, Gethaeo, Gadera, Gaderoth, Galiloth, Gabaon, Getthafer, et quae sequuntur²⁴. Hinc colligitur etiam g litteram in sibilum versam non esse. Quam rem Augustinus quoque confirmat argumento graeco allato, ubi ait: «Cum dico 'lege', in his duabus syllabis aliud Graecus, aliud Latinus intellegit²⁵. Ergo g Latinum et γ Graecum ineunte saeculo quinto inter se vix differebant.

His igitur exemplis congestis, quamvis numero pauca sint electa, convincitur cum c litteram atque g usque in saecula sera antiquitatis in sibilum versa non esse. Quid plura? in Hibernia sonus gutturalis c litterae latinae usque in saeculum duodecimum conservatus est²⁶.

Similiter jam solis homoeoprophoris sonus diphthongorum diu servatos esse constat. Cujus rei pauca verba afferimus, in quibus praeter similes consonantes initiales a elementum etiam in ae diphthongo per longum tempus deprehenditur servatum, ut his locis: RUFIN. hist. 2, 1, 5 Jacobus ab Herode

19. Cf. VACCARI, Alberto: *La pronunzia del latino nella Chiesa del secolo V*: Osservatore Romano N. 60 (30 934), 14 Marzo 1962, p. 5.

20. HIER. nom. hebr. 22, 28 sq. *Lag.* (CChL 72, 87) Cf. *ibidem* 62, 10 sq. 22, 23 sq. *Lag.* (CChL 72, 137, 96).

21. Cf. HIER. nom. hebr. 4, 9 sq., 17, 9 sq., 26, 14 sq., 61, 4 6 *Lag.* (CChL 72, 63. 80. 92. 135)

22. HIER nom hebr. 4. 2-8 (CChL 72, 63).

23. HIER. nom. hebr 6, 23-7, 9 *Lag.* (CChL 72, 66) sq.).

24. HIER. nom. hebr. 27, 23 29 *Lag.* (CChL 72, 94).

25. AUG. doctr. christ. 2, 24, 37.

26. Cf. JELLINEK, Max Hermann, *Über Aussprache des Lateinischen und deutsche Buchstabenamen*, Wien-Leipzig 1930, p. 13.

capite caesus est. CASSIOD. var. 11, 1, 12 qui hostem regalem **capite caedis.** VULG. *Luc.* 10, 18 satanam... de **caelo cadentem**²⁷.

Pariter etiam *p* aspiratum diu sonum *p* litterae propiorem quam *f* litterae retinuit. Quae res his homoeoprophoris demonstratur: VULG. *gen.* 12, 15 **principes Pharaoni.** 12, 17 **Pharaonem plagis.** 40, 11 **poculum Pharaoni.** 41, 35 **Pharaonis potestate.** 41, 37 **placuit Pharaoni.** *psalm.* 105, 30 **Et stetit Phi-** **nees et placavit.** *Matth.* 21, 45 **pharisaei parabolas.** GREG. m. *dial.* 2, 35 (ed. MORICCA) **spera** (=sphaera). HIER. *quaest. hebr.* *in gen.* p. 69, 5 L (CChL 72 54) **Nepthalim**²⁸.

Denique haec elementa pauca pronuntiatus antiqui ex immani materia-
rum silva selecta atque deprompta documento sunt Christianos quoque per
plura saecula sonos litterarum edidisse plerosque pronuntiatui superioris ae-
tatis non dissimiles. Ob eam rem Carolus Egger optimo jure jam ante non-
nullos annos monuit haec: «Nemo eruditione ornatus veterem illam et
augusti saeculi propriam litterarum appellationem ignoret²⁹. Itaque Ecclesia,
utpote quae sit paedagoga sapientissima, suasit, quin etiam prudentia paeda-
gogica praecepit, ut clerici classicam rationem pronuntiatus pernoscerent.
Quamquam autem rerum praesentibus condicioni us consentaneum esse eis,
ad quos res spectat, videbatur, ut mos «modernus» Romanorum retineretur.
nihilominus non est decretum, ut, ubi non vigeret, illud induceretur.

Postremo nihil restat, nisi ut firmiter sperandum sit non solum unitatem
Christiani populi praeparatum iri concilii convocati consiliis³⁰, sed etiam
pronuntiatum vere latinum singulari simplicitate, utilitate, claritate commen-
datum tandem evasurum revera communem.

Interea Romae Concilium Vaticanum Secundum magnificentissime cele-
brari coeptum est, quo praeter Patres Cardinales plerique patriarchae, archie-
piscopi, episcopi, praesides ordinum congregationumque religiosarum pro-
fecti sunt. Primum autem conventum et consessum perquam sollemnem die
undecimo mensis Octobris omnes Christiani, quoad potuerunt, sive televisi-
fice consideraverunt sive saltem radiophonice auscultaverunt. Postea Patres

27. Cf. PLAUT. *Poen.* 684 **caedit calcibus.** LIV. 9, 27, 14 **caedi capique.** 27, 48, 17 **cae-**
dendos capiendoque. VAL. MAX. 2, 2, 9 **caesisque capris.** QUINT. *inst.* 4, 2, 9 **condicioneis**
hujus esse... plerasque **caedis causas.** FRONTO p. 220, 15 N. non minus **cadendo quam cae-**
dendo.

28. Cf. CIC. *Tusc.* 2, 2 ex universa philosophia percipi possunt. 2, 4 est enim philosophia
paucis contenta iudicibus. 3, 84 id se effecturam philosophia profitetur. 4, 82 a philosophia posse. 5, 5 a philosophia petenda. 5, 19 esse philosophiae promissum.

29. LATINIT 6 (1958) 72.

30. Cf. AAS 54 (1962) 339. — Ceterum mense Julio, quo Josephus Holzer, director
superior a studiis, qui tum conventus Lugdunensi interfuit, domi nostrae commorabatur mihi
llicuit etiam atque etiam facilitatem pronuntiatus percipere restituti.

paene per spatum mensis integri consessus habebant, in quibus plurimum et interdum acerrime de lingua latina disceptatum est. Ibi non de utilitate commodisque, quae certe apparent, si consuetudine communi sacerdotes totius orbis terrarum omnesque homines aliquatenus erudití lingua latina utuntur, agebatur, sed de usu, qualis sacrae liturgiae, ad quam participandam homines omnium condicionum et ordinum invitantur vocati, vere sit congruens. Tamen non pauci patres nequaquam assuefacti hac lingua colloqui disserere disputare initio difficultates non mediocres verborum intellectuendorum perpessi sunt. Quo factum est, ut nonnulli rogarent, ut ob eam rem ad tempus dimitterentur. Inter illos fuit Richardus Jacobus Cushing, archiepiscopus Bostoniensis idemque pater Cardinalis, qui, cum Romae aeroplanum concendere Bostoniam³¹ in Americam Septentrionalem avolatus: «Iustum sermonem latinum», inquit «nihil intellego. Ideo Beatissimo Patri suasi, ut aula concilii apparatu translationis simul facienda meis sumptibus exornaretur. Quod nisi fit, tempus perdo, cujus rei rationem reddere 'coram Deo non potero. Si igitur Summus Pontifex consilio assensus erit, libens revertar³²».

Verisimillimum autem est difficultates auditionis et perceptionis pronuntiatu multis inusitato vehementer auctas esse, ut querelae non tam ad scientiam ipsam linguae latinae spectarent, quam ad modum verborum depravate prolatorum. Ergo jure optimo P. Albertus Vaccari S. J., proreector Pontificii Instituti Biblici, vir cum linguae latinae tum sermonis biblici et ecclesiastici peritissimus, Patribus congregatis preces obtulit, quibus rogavit, ut litterarum appellatio vere latina, id est classica seu restituta, tandem usu recipetur communi, quippe quae esset consuetudini patrum ecclesiasticorum, ut Cypriani Ambrosii Hieronymi Augustini Leonis Magni, multo similior quam mos translaticius hodiernus multimodis variatus. Hoc tantum modo linguam latinam ecclesiasticam stigmate sermonis sacristiis proprii posse solvi³³.

Quid pluribus, haec uniformitas iusta si neglegitur, immo etiam lingua latina si plus dediscitur quam perdiscitur, singula verba non solum francogallice hispanice anglice germanice arabice repetantur renuntienturque necesse est³⁴, sed etiam linguā Russorum Indorum Sinensium Japōnum Coreanorum aliorumque. Facilius autem una lingua, quippe quae sit doctrinis, argumentis,

31. *Boston.*

32. *Klerusblatt* («commentarii clericorum»), n. 22, ann. 42 (München, 15 Nov. 1962), p. 439.

33. Cf. *Römische Warte* («Specula Romana», paginæ additiciae «Ephemeridē Germanicae» = *Deutsche Tagespost*) ann. 3, N. 40 (23 Oct. 1962), p. 316 sq.

34. *Osservatore Romano* N. 31.129 (7 Nov. 1962), p. 1. *La tredicesima Congregazione Generale* («de decima tertia congregazione generali»).

saeculis satis comprobata, penitus discitur quam plures, id est minimum sex septemve linguae recentiores, si latina reicitur universalis.

Hanc rem necessitatemque jam Emmanuel Jové, martyr Christi saeculo nostro necem propter fidem Christianam et catholicam victor perpessus, jam prorsus animadvertisit. Idcirco viribus contentis studia linguae latinae promovit et pronuntiatum vere latinum, id est antiquum, non uno loco proposuit atque defendit³⁵. Illum antesignanum securi sequamur oportet.

Scribebam mense Novembri anni MCMLXII

CAELESTIS EICHENSEER, O. S. B.

35. Cf. *PAL. LAT.* N. 174-175: 31 (1961) 139 (adn. 1).

VENANTIUS FORTUNATUS

(a. 535-600)

Gallia dives et florentissima, quae litterarum fertilitate Italiam interdum superavit et quae, collapso imperio romano occidentali partim ad Visigothos, partim ad Burgundos Francosque pervenerat, perdiu diri certaminis causa erat, quoad Chlodovicus, rex Francorum, anno 496 una cum gente sua sacro fonte lustratus, Francos omnes suae conjunxit dominationi. Tum Gallia a Pyrenaeis ad Scaldim flumen fuit christiana. Nec tamen susceptus baptismus efficere poterat, ut gentes innatam ferocitatem barbariemque penitus exuerent. Quare Gallia saeculo sexto continuis quassabatur bellis civilibus et caedibus rubefiebat. Tantum e duorum Sanctorum sepulcris, Hilarii Pictaviensis et Martini Turonensis, lumen effulsit, quo mores aetatis corruptae paulum leniebantur. Nam prioris scripta dogmatica antistites et sacerdotes docebant et firmabant, ad posterioris tumulum, multis prodigiis illustratum, plebs fidelis inter tot tantaque adversa auxilium petitum configiebat.

Florebat hac misera aetate Venantius Fortunatus, tunc temporis poëta clarissimus. Natus anno 535 Tarvisino provinciae Venetae, artibus bonis, juris prudentiae, poësi Ravennae, in urbe Gothorum principe, vacavit. Cum graviter ex oculis laboraret, a Sancto Martino sanationem impetravit et gratias agendi causa ad ejus sepulcrum magno circuitu est peregrinatus. Fuerunt tunc temporis multi in Gallia reguli, qui parum cultura et litteris imbuti occasione nataliciorum vel nuptiarum Fortunatum invitare solebant, ut dies sollemnes limpidis illustraret distichis. Idemque, patriae exul, diu per Galliam vagabatur, modo antistitum modo monasteriorum hospitio usus, donec Pictavae sedem fixit.

Regnabat eodem tempore Radegundis, filia regis Thuringiae. Qui cum a rege Francorum Chlothario occisus esset, ipsa, matre quoque orbata, a paricida in Galliam captiva abducta, invita ei nupsit. Cum inter delicias aulicas virtutes mulierum proprias colere pergeret, pulchritudine et benignitate regis ferocis quidem amorem, sed pietate et vitae asperitate odium excitabat. Quare rex aulicis dicere solebat se monacham potius quam reginam habere. Cujus ferocitate plurima perpessa, cum ipsius frater a rege conjugé esset trucidatus, ab episcopo Medardo supplex impetravit, ut se Domino consecraret. Atque Medardus, diu cunctatus, tandem precibus est obsecutus. Tum rex iratus eam omnibus modis sibi reconciliare studuit. Ipsa autem aliquamdiu Caesaroduni morata prope Pictavam urbem sedem constituit, ibique monasterium ad Sancti Caesarii regulas condidit. Quo in negotio a rege conju-

ge, per Sanctum Germanum tandem flexo et lenito, munificentissime est adjuta. Eadem Agnetem, olim famulam suam, quam adoptarat et enutrierat, monasterii —fuit enim praeclaris animi dotibus instructa— constituit antisitem, cum ipsa, simplex monacha, ad extremum vitae diem sancte viveret, pauperum mater, aegrotorum leprosorumque adjutrix, egentium afflictorumque consolatrix. Quemadmodum aedi sacrae cultuque divino omnem adhibebat curam, ita cum reliquis sororibus litteras poësimque colebat. Ipsa quoque Fortunatum exulem arcessivit et impetravit, ut sacerdotium susciperet et rebus cum ad spiritum tum ad corpus necessariis consuleret. Ita factum est, ut sensim casta sine suspicione amicitia inter Radegundem et Fortunatum intercesserit. Ideo, cum Radegundis se tandem in monasterium abdidisset, Fortunatus hos ad eam dedit versus:

Quo sine me mea lux oculis errantibus abdit
Nec patitur visu se reserare meo?
Omnia conspicio simul aethera, flumina, terram,
Cum te non video, sunt mihi cuncta parum.
Quamvis sit caelum nebula fugiente serenum,
Te celante mihi stat sine sole dies. (pars I, 8, c. 2).

Cantat, ut Radegundis olim regina nunc famulae 'abbatissae' oboediat:

Splendida serraco quondam subvecta superbo,
Nunc terit obsequio planta modesta lutum.
Quae prius insertis onerata est dextra smaragdis,
Servit inops famulis sedulitate suis.
Aulae celsa regens quondam, modo jussa ministrat,
Quae dominando prius, nunc famulando placet. (pars I, 8, c. 1).

Radegundis monasterium pretiosis ornabat muneribus, inter quae excellebant reliquiae Sanctae Crucis, auro gemmisque inclusae, quas anno 569 ab imperatore Justino secundo donatas a Byzantio arcessi curarunt. Haec fuit Venantio occasio ad hymnos de Cruce celeberrimos componendos usque Ecclesiae longo consecratos, qui inter clarissimos quos habet Liturgia juste numerantur.

Vexilla regis prodeunt,
Fulget crucis mysterium,
Qua vita mortem pertulit
Et morte vitam protulit.
Quae vulnerata lanceae
Mucrone diro, criminum
Ut nos lavaret sordibus,
Manavit unda et sanguine.
Impleta sunt, quae concinuit
David fidelis carmine,
Dicendo nationibus:
Regnavit a ligno Deus.

Arbor decora et fulgida
Ornata regis purpura,
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.
Beata cuius brachis
Pretium peperidit saeculi,
Statera facta corporis
Tulitque praedam Tartari.
O crux, ave, spes unica
Hoc passionis tempore,
Pis adauge gratiam
Reisque dele crimina.
(pars I, 2, c. 6).

Alter qui sequitur hymnus arbori perniciosae Paradisi opponit sapientissime arborem Sanctae Crucis, arborem vitae sicutque paucis versibus summam operis Redemptionis ante oculos ponit adeo pulchre, vix ut pulchrius quid invenias.

Pange lingua gloriosi lauream certaminis
Et super Crucis trophyo dic triumphum nobilem,
Qualiter Redemptor orbis immolatus vicerit.

De parentis protoplasti fraude factor condolens,
Quando pomis noxialis in necem morsu ruit.
Ipse lignum tunc notavit, damna ut ligni solveret.

Hoc opus nostrae salutis ordo deposcerat,
Multiformis proditoris ars ut artem falleret
Et medelam ferret inde, unde hostis laeserat¹.

Vagis infans inter arta conditus praesepia,
Membra pannis involuta Virgo Mater alligat
Et Dei manus pedesque stricta cingit fascia ..

Agnus in crucis levatur immolandus stipite.
Felle potus ecce languet: spina, clavi, lancea
Mite corpus perforarunt, unda manat et cruar,
Terra, pontus, astra, mundus, quo lavantur flumine

Bene adverte versus sequentes:

Crux fidelis, inter omnes arbor una nobilis,
Silva talem nulla proferi fronde, flore, germine,
Dulce ferrum, dulce lignum, dulce pondus sustinet.

Alloquitur arborem crucis:

Fleete ramos arbor alta, tende laxa viscera
Et rigor lentescat ille, quem dedit nativitas
Et superni Regis membra tende miti stipite.
Sola digna tu fuisti ferre mundi victimam
Atque portum praeparare arca mundo naufrago,
Quem sacer cruar perunxit fusus agni corpore. (pars I, 2, c. 2).

Canit Beatam Virginem:

Quem terra, pontus, aethera colunt, adorant, praedicant,
Trinam Regentem machinam claustrum Mariae basulat.
Cui luna, sol et omnia deserviunt per tempora,
Perfusa caeli gratia gestant puellae viscera.

Beata Mater munere, cuius supernus artifex
Mundum pugillo continens ventris sub arca clausus est.
Beata caeli nuntio, fecunda Sancto Spiritu,
Desideratus gentibus, cuius per alvum fusus est... (pars I, 8, c. 4).

1. Nonne auctor «Praefationis Crucis» memorare videtur versus poetae: «Multiformis proditoris ars ut artem falleret et medelam ferret inde, unde hostis laeserat» cum cantet: «Ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret et qui in ligno vinciebat, in ligno quoque vincetur?».

Praeter hos aliosque hymnos sacros nonnullae de Sanctae Radegundis sorte tragica elegiae maxima sunt laude dignae. Inscruntur: «De Toringiae excidio». Toringia (hodie *Thueringen Germaniae*) erat Radegundis patria. In his elegiis poëta sub persona ac nomine Radegundis excidium describit modo vere poëtico. Audiamus nonnulla:

Condicio bellī tristis, sors invida rerum,
Quam subito lapsu regna superba cadunt!
Aula palantino quae floruit antea cultu,
Hanc modo pro cameris maesta favilla tegit.
Quae steterant longo felicia culmina tractu,
Victa sub ingenti clade cremata jacent.

Ardua quae rutilo nituere ornata metallo,
Pallidus oppressit fulgida tecta cinis.
Missa sub hostili Domino captiva potestas,
Decidit in humili gloria celsa loco
Stans aetate pari, famulorum turba nitendum
Funereo sordet pulvere, functa die... (1-12).

Recordatur Radegundis tempus elapsum, quo Berthario patre occiso ipsa orba Amalafridum amicum et protectorem habuit. Hic, ipsius cognatus, tunc in imperatoris Byzantini exercitu stipendia fecit. Quam blande ac suaviter eum alloquitur!

Vel memor esto, tuis primaevis qualis sub annis,
Amalafride, tibi tunc Radegundis eram.
Quantum me quandam dulcis dilexeris infans
Et de fratre patris, nate benigne, parens.
Quod pater extinctus poterat, quod mater haberet,
Quod soror aut frater, tu mihi solus eras.
Prensa pris manibus, heu! blanda per oscula pendens,
Mulcebar placido flamine, parva, tuo.
Vixerat in spatium, quo te minus hora referret,
Saecula nunc fugiunt nec tua verba fero.
Volvebam rabidas illiso in pectore curas,
Ceu revocarer eis, quando vel unde, parens?
Si pater aut genetrix aut regia cura tenebat,
Cum festinabas, jam mihi tardus eras.
Sors erat indicium, quia te cito, care, carerem,
Importunus amor nescit habere diem. (47-62).

Nunc autem vane epistulam exspectat ab eo missam, inscia ubi versetur:

Vos quoque nunc Oriens et nos Occasus obumbrat,
Me maris Oceani, te tenet unda Rubri.
Inter amatores totusque interfacet orbis,
Hos dirimit mundus, quos loca nulla prius.
Quantum terra tenet, tantum divisit amantem,
Si plus arva forent, longius isset iter.
Esto tamen, quo vota tenent mellora parentum
Prosperius, quam te terra Toringa dedit.

Hinc potius crucior validis onerata querelis,
 Cur mihi nulla tui mittere signa velis?
 Quem volo nec video, pinxit et epistula vultum,
 Aut loca quem retrahunt, ferret imago virum:
 Qua virtute atavos repares, qua laude propinquos,
 Ceu patre de pulchro ludit in ore rubor. (65 79).

Quae loca te teneant, si sibilat aura, i requiro,
 Nubila, si volites, pendula posco locum ..
 Quod si signa mihi nec terra nec aequora mittunt,
 Prospera vel ventiens nuntia ferret avis!
 Sacra monasterii si me non claustra tenerent,
 Improvisa aderam, qua regione sedes.
 Prompta per undifragas transissem puppe procellas,
 Flatibus hibernis laeta moverer squis...
 Imbris infestis si solveret unda carinam,
 Te peterem, tabula remige vecta mari.
 Sorte sub infausta si prendere ligna veterar,
 Ad te venissem, lassa, natante manu.
 Cum te respicerem, peregrina pericla negasset,
 Naufragii dulcis mox relevasse onus.
 Aut mihi si querulam raperet sors ultima vitam
 Vel tumulum mansibus ferret arena tuis.
 Ante plios oculos issem sine luce cadaver,
 Ut vel ad exsequias commoverere meas.
 Qui spernit vitae fletus lacrimatus humares
 Atque dares planctus, qui modo verba negas. (95-122).

Rursus malorum conscientia describit, qualiter frater natu minor a conjugae suo regio occisus fuerit. Versus summopere permoventes:

Percutitur juvenis tenera lanugine barbae,
 Absens nec vidi funera dira soror,
 Non solum amisi, sed nec pia lumina clausi
 Nec superincumbens ultima verba dedit,
 Frigida non calido tepefeci viscera fletu
 Oscula nec caro de mortente tuli.
 Amplexu in misero neque collo flebilis haesi
 Aut fovi infausto corpus anhela sinu.
 Vita negabatur, quia jam de fratre sorori
 Debuit ingrediens halitus ore capi... (pars I, 1, 133-142).

Ex hac altisque elegitis et carminibus mixtis sine dubio summa dexteritas in versibus faciendis ac facilitas et clasissimum poetae ingenium elucet. Ideo ei cum Ovidio dicere licet: «Quidquid temptabam scribere, versus erat». Quaecumque videbat sentiebatve, occasionem carminis faciendi dabat:

sic de vere redeunte:

Post tempestates et nubila turbida caeli,
 Quo solet infesto terra rigere gelu,

*Post validas hiemes et tristia frigora brumae,
 Flamine seu rapidi rura gravante Noti,
 Succedunt iterum vernalia tempora mundo
 Grataque post glaciem provocat aura diem.
 Rursus odoriferis renovantur floribus arva.
 Frondibus arboreis et vires omne nemus (pars I, 9, c. 3).*

de hieme:

*Passim stricta riget glacies concreta pruinis
 Nec levat afflictas flexilis herba comas.
 Terra jacet crustata gelu sub cortice duro
 Mollis et arboreas nix tegit alta comas.
 Mole sua frenantur aquae, se lympha ligavit,
 Obice sub proprio vix sibi praebet iter.
 Fluminibus mediis nata est crystallina ripa
 Nec capimus subter nec superitur iter. (pars I, 3, c. 28).*

de pulchro horto:

*Hic ver purpureum viridiania graminea gignit
 Et paradisiacas spargit odore rosas.
 Hic tener aestivas defendit pampinus umbras
 Praebet et uviferis frondea tecta comis
 Pinxeruntque locum variato germine flores
 Pomaque vestivit candor et inde rubor.
 Mitior hic aetas, ubi molli blanda susurru
 Aura levis semper pendula mala quatit. (pars I, 6, c. 8).*

mittit violas Radegundi:

*Tempora si solito mihi candida lilia ferrent,
 Aut spectiosa foret suave rubore rosa,
 Haec ego rure legens aut cespite pauperis horti,
 Missem magnis munera parva libens.
 Sed quia prima mihi desunt, vel solvo secunda,
 Profert qui violas, fert et amore rosas.
 Inter odoriferas tamen has, quas misimus, herbas,
 Purpureae violae nobile germen habent.
 Respirant pariter regali murice tintiae
 Et saturat foliis hinc odor, inde color. (pars I, 8, c. 11).*

de virginitatis merito:

*Inter apostolicas acies sacrosque prophetas
 Proxima martyribus praemia virgo tenet.
 Splendida sidereo circumdata lumine pergens
 Jungitur angelicis casta puella choris.
 Fruge pudicitiae, caeli dotanda talento,
 Aeterni Regis ducitur in thalamos.
 Pulchra corona caput triplici diadema cingit
 Et gemmae exornant pectora, colla, comam.
 Indulitur teneris superaddita purpura membris
 Et candore nivis fulgida palla tegit.*

Floribus aeternis oculos rosa, lilia pascunt
Et paradisiacus naribus intrat odor... (pars I, 8, c. 8).

Maria Evae opponitur:

Humano generi genuit quos Eva dolores,
Curavit genitus, Virgo Maria, tuus.
Peccati jaculo defixa in stirpe cicatrix
Ulcera nulla gerit nec sua signa patent.
Succus amarus enim vetiti de cortice ligni
Stante Redemptoris de cruce dulce sapit.
Sub pomì specie mors tunc de fronde pependit,
Nunc tuus uterus hinc cibus, inde salus. (pars I, 8, c. 7).

vita incerta:

Casibus incertis rerum fortuna rotatur
Nec figit stabilem pendula vita pedem
Semper in ambiguo saeclum rota lubrica volvit
Et gracili glacie lapsibus itur iter.
Nulli certa dies, nulli est sua certior hora,
Sic sumus in statu debiliorē vitro...
His premūr tenebris ignari sorte futuri
Et vaga tam fragile haec tempora tempus habent. (pars I, 6, c. 7).

multa composuit epitaphia. Sic exempli gratia in Arcadium adolescentem:

Omne bonum velox fugitivo tempore transit,
Quae placitura videt, mors magis illa rapit.
Hic puer Arcadius ventiens de prole senatus
Festinante die raptus ab orbe jacet.
Parvula cujus adhuc freno se vinxerat aetas
Ut tener et annis surgeret ipse senex...
Quo me forma rapis laudes memorare sepulti?
Singula si memorem, plus lacrimanda mones,
Sed quantam nulla maculatus sorde recessit.
Nulli flendus erit, quem paradiſus habet. (pars I, 4, c. 17).

Venantius plurima fecit carmina, quamvis non omnia summa laude digna. Exstant ducenta quinquaginta, ex quibus carmen de Sancti Martini vita 2243 complectitur hexametra, cum nonnullae elegiae centum, ducentos et plus trecentos habeant versus. Poëta patrī extorris in Gallia bellis perturbata egit radices. Quod ad formam spectat, elegiae «Turingienses» inter optimas romanas referri jure possunt, sed cantor «Vexilla Regis» jam crucem in «aevum medium» praefert.

N. MANGEOT, S. J.

NOX ULTIMA MUNDI

Ficta voluptatis causa sint proxima veris

HORAT., Ars Poët., 338

FABULA POETICA

de obitu Anni Millesimi post Christum natu

Quo opere auctor «primas» detulit ex
Latinae Poësis Certamine apud Bononien-
sem Studiorum Universitatem instituto,
«Mingarelli» nomine, et in Annum MCMLX
indicto.

«...Angelus est alto visus descendere caelo»
«qui manibus gestans Erebi cum clove catenam»
«Infernī prensum regem nodisque ligatum»
«in barathrum trusit cohibendum *mille per annos*». 5
«Ad modicum tempus dein hic solvatur oportet»
«terrarumque furat totum percussor in orbem»
«cuīus castra repens missus de nubibus ignis»
«devoret atque iterum tunc Tartarus obseret illum».
«Inde thronus magnus caelis splendebit apertis»
«ut gentes vindex supremus et arbiter omnes» 10
«judicet...»

Haec sanctis, afflatus Numine, chartis
Pathmius ediderat portenta futura Sacerdos ¹.

Summa dies aderat. Terror non omnibus idem:
nam generi humano vicinum credere finem
vivendi dubitant alii; ratione vel arte 15
freti alii renuunt, ut jam renuēre prioris
aetatis multos, doctores atque magistri;
non cordi est aliis harum perceptio rerum.

At faciles quicumque solent rumoribus angi,
vel quos anxietas jam contrastaverat ante, 20
hos pavor exagitat labefactaque pectora turbat.

Illa incumbebat decimi nox ultima saecli.
Pars hominum, species velut aspernentur inanes,

terribiles monitus, Satanam, signa horrida monstris,
 Magogum Gogumque duces saevasque ruinas,
 per joca, per vinum rident luduntque dicaces.
 Pars haeret: sapit et metuit. Si credula prorsus
 non est nec fatuo cursans ferit aëra questu,
 ludibrio oraculum tamen abnegat illud habendum
 et pugnat secreta, palam dum comprimit aestus
 ambiguos animi: vivit moriturque vicissim
 spes, sub mane novo sedari posse timorem.

Pars tranquilla manet: nondum matura videri
 tanti fatorum vatis praenuntia verba;
 stare immota Dei, minime sed cognita vulgo,
 quae arcanis caneret numeris arcana Joannes;
 ergo ideo cuinam manifestum quanta laborum,
 quanta prius moles operum, certamina quanta
 exspectanda forent, saeclorum quantus et ordo,
 quam fixus limes fluvium paecluderet aevi?

Talia perciperes. Sed nigra per oppida clamor,
 in vicis, plateis, hinc illinc noctis in umbra,
 luce vagis raptim facibus rumpente tenēbras,
 turbidus increscit; passim fit plangor et angor,
 femineo effuso gemitu fremituque virorum,
 qui sibi dira timent aut dira timentibus obstant,
 et maledicta, preces, fletus, convicia miscent.

Quin, tristi ante diem fracti formidine, quidam
 munera desierant, artes curasque suetas;
 seu quod tam dubiae paterentur taedia vitae
 sive quod horrerent vitae impia probra peractae,
 judice venturo grave nec reparabile damnum
 jam dudum veriti.

Quos, fine instantे dierum
 extremo, tradunt (sit fabula ficta; poëtis
 fabula cara tamen) sua mox liquisse suosque,
 perque vias longas adiisse insignia templū,
 quae magis audirent celebrata magisque colenda.

Cum ruit hora minax, tenebris narratur obortis,
 tum vero paeceps illuc incondita turba
 (frigora mordebant hiberni temporis artus)
 irrupisse furore novo, densataque volvis
 sacra subisse simul patefactis atria, complens
 fluctibus alternis vacuum cum murmure vasto;

25

30

35

40

45

50

55

60

atque tholos, arcus, sublimi mole columnas
taedis collustrans fumantibus (igne corusco
tecta repercutsum spargebat ibi aurea lumen
vel quae tessellis, sapphiro ostroque decōris,
musiva hapsidum byzantia picta micabant),
suppliciter culpis veniam prostrata rogasse,
jam portenta tremens peritura altaria circum. 65
70

Vertitur interea caelum, gelidasque per auras
huc illuc volitant diverso flamine voces.

SERVI ET MENDICI

Suum mox fera vis iniquitatis ¹
si, ut dicunt, aget ultimum triumphum,
quid ad nos? inopes eramus ante,
nostrum cras inopes erit manere:
pati, haec si acciderint, novos tyrannos,
novum servitium pati et labores,
nec placare sitim famemque nostram.
Sed... cum fugerit haec brevi revicta 75
pestis, en cito morte liberatis
nobis cernere judicem licebit.

Prope est justitiae dies! Amaris
jam gaudete doloribus, gregales!
Paupertatis adest enim patronus,
qui solus tribuat suum cuique. 80
85

DIVITUM VOCES

Ergo haec squalida nox
terribilem decidet in diem? ^{II}
Has nos delicias,
cuncta statim nostra relinquere,
adverso veluti
turbine convulsa! Beatior
tecto qui caruit, 90
stratus humi, qui caruit cibo,
inter mollitas
atque epulas vivere nescius.
Felix, cui nihil est
quod paveat, quidquid erit mali,

et sperare aliquid,
pro meritis, jure licet boni.
Nos vero illecebris
saepe suis in vetitum nefas
auri sacra fames,
qua furimus, detulit impotens...
Ast... hercle, ejal quid est
cur valeat pejor opinio?
Quin aurora metum
dissipet ut lugubre somnium?

95

ANICULAE

Jèsu Domine, àures precibùs da miseràrum! III
Quae impendent, hèu, funera, quoè grandia mònstra!
Quòniam vetulae aëgroe sumus àtque onile fràngit
vires animòsque pondus èt gradus retàrdat,
nil jam moritùras dolet àbscedere vīta;
trèmimus tamen hàc horrisonà voce minàrum,
quèis cogimur èt quam cupimùs metuere mòrtem.
Tènuissima fòlia ferimur in turbine vènti...
O tu, Domine, àures precibùs da miseràrum!

100

105

IMPLORANTES PUERPERAE

Spes, nostris sata amoribus IV
ac nostro rata sanguine,
cur vitam parit, irrita
tanta in limine cladis?
O matrum tenerissima
et castissima virginum
o divina puerpera,
nos tutare, Maria!
Tu in caelum reduces, prius
quam nigram videant diem,
nascentes pueros refer,
clemens Virgo, Maria!
Tu angorem parientium
sanctis, ne sit inutilis,
irrota lacrimis tuis,
Mater sancta, Maria!

110

115

120

HOMINUM PRECANTUM AGMINA

- Paenitentes te rogamus,
Christe, nos exaudias: v
ne ruina deleamur,
nostra dele crima.
- Jamdiu nos tot furores
inquinarunt sanguine,
tot cupidines probrosis
polluerunt sordibus.
- Paenitentes te rogamus,
Christe, nos exaudias:
ne ruina deleamur,
nostra dele crima.
- Undique omnes templa adite,
sancta adite altaria:
tempus est delicta acerbis
expiare lacrimis.
- Paenitentes te rogamus,
Christe, nos exaudias:
ne ruina deleamur,
nostra dele crima.
- Quam meremus, pravitatis
mitigetur ultiō,
cum Crucis fecunditate
tanta sit redemptio.
- Verum multa sonant aliter. Fumosa taberna
lurcones, scurras solito magis et balafrones
allicit. Alternant nugas. Agitata, lagoenae,
fercula cum cyathis crepitant, fervente culina.
Formido, si qua est, teritur compressa cachinnis.

SCURRAE

- Quam ridiculus inèptas
quatit horrör animulàs v
anibùsque imaginòsis
stolidisque puerulisl

LURCONES

- Ecce judex, qui flagellis
hunc et illum percutit;
copa pone, dans cululos,
hunc et illum roborat.

SCURRAE

Mala mònstra ne recèdant,
ea dùm capite luànt
quot sùnt senes molèsti
putridaèque mulierès.

145

LURCONES

Usque nos aquam perosi
sicut atrum toxicum,
ventribus mero repletis
muniemur optime.

SCURRAE

Date vòs opem, puèllae,
date blàndulae et hilarès,
mansuèta monstra fient,
abitùra celeritèr.

LURCONES

Euge, quae sunt destinata,
postmodo intuebimur.
Nunc bibamus, gaudeamus!
laus sit helluonibus!

150

NOCTIVAGAE CANTORUM TURMAE

Laetos juvat per semitas et compita ^{VII}
modos ciere vocibus canoris.

Purgetur aura luctuosa cantibus,
nam mortis aura dedecet juventam;
sane juventae carmen hoc sit ultimum,
carmen canamus ultimum, sodales!

155

Et cras ametur, sicut ante amavimus,
ut nos puellae semper ante amarunt.

Nox frigida albet, quam nives illuminant;
ver cras tepebit et rosae rubescunt.

160

Cras ergo ametur, sic ut usque amavimus,
amatæ ut usque nos puellæ amarunt.

Voces interea, longe ab clamoribus ortæ,
de nemorum castis adytis domibusque sacratis,
hinc trepidis precibus, monitis sapientibus illinc,
caelestes veluti flatus terrestria mulcent.

165

DEVOTAE VIRGINES

- Humi in sacellis cernuae VIII
 per claustra solitariae,
 huic noctium taeterimae 170
 metitur horas supplices.
- Deus, redemptor omnium
 ac firma spes mortalium,
 cuique soli noscere
 mundi futura pertinet, 175
 dulcem tuam implorantibus
 num denegabis gratiam,
 utcumque mox eluxerit
 tui potestas numinis?
- Namque ulti etsi criminum, 180
 tamen pater suavissimus,
 utcumque volvis saecula,
 tuis salutem praeparas.
- Lux, Christe, sis errantibus,
 afflita corda subleva, 185
 iras protervas comprime,
 fusos cruores ablue.
- Ut prava cuncta corrigas
 tuumque Regnum splendeat,
 hac nocte tristi flebiles 190
 tuae precamur virgines.

COENOBITAE

- Mille qui annorum peragetur orbis
 nocte in extrema, metuenda rerum
 non erit finis: meliora debent
 saecula gigni. 195
- Si dolis, armis odiisque terras
 ferrea hac vere cumulavit aetas;
 si sacra inceste violari in ipsa
 vidimus Urbe;
 jamdiu excisum reparare cultum, 200
 hoc decet, recti. Nisi qui expiandis
 editur culpis, procul omnis esto
 fletus inanis.

Quies autem curis, orbis Regina tenetur?
 Nocturni coetus hominum, prope moenia celso
 interque augustis monumenta superba ruinis
 perque foras a ut veterum per saxea strata viarum,
 turbato ac scisso studia in contraria vulgo,
 bacchantur, mussant aut vociferantur in Urbe.

205

SAXONES

in Aventino Monte propinantes imperatori

Bene tibi sit, imperator,
 bona et àuspicio tuà ^{IX}
 celebrènt manipli in àrmis,
 equitès, aquiliferi,
 dum his mille capit ab ànnis
 novus ànnus initiùm.

Otho vivat! imperator
 puer, at similis avò,
 capitè gerit usque victor
 diadèmatis onerà.

Normànnia reprimitùr vis,
 validòsque Sarmatàs
 videt Albis aut domàri
 aut sua règna repeterè.

Suam adèpta dignitàtem,
 pia dènique sequitùr
 Christum simul et Othònem
 vetus Hùngaria feròx.

Byzàntium quièscit,
 sapiètque Eporedià,²

Sacri et Imperi potèstas
 renovata recolitùr.

Bene tibi sit, imperator,
 bona et àuspicio tibi,
 dum his mille capit ab ànnis
 novus ànnus initiùm.

Fremat ipsa Roma: nuper
 trabe mèmbra pendulùs ³

Crescèntius furòrem
 minuèt rebelliùm
 in Sàxonum cohòrtes.

215

220

225

veterès canere triùmphos
 moriènte saeculò.
 Bene sìt nepoti Othònisi
 Magnil similis avò,
 sapièntis aviae alùmnus
 subolèisque Theophanès,⁴
 capitè gerat usque vîctor
 diadèma Caesarùm.

ROMANORUM CIVIUM CONVENTICULA

Viden Teutonicus tumens tropaeis¹ 230
 grex ut desipiat? Struit futura⁵
 confisus sibi doctus imperator,
 nil de hac nocte timens, ut et novarum
 rerum tam magus ille curiosus,
 quia sua in Laterana ineptit arce.² 235
 Caedibus satiata saepe nostris,
 audin ut canat insolens caterva,
 raptandi cupidum genus superbum.
 Sed poenae nequeunt diu morari:
 omne aut ira Dei nefas in illis 240
 aut gens nostra aliquando vindicabit.

SILVESTRI PAPAE II FAUTORES

Moribus saevis tibi molienti,
 summe Silvester, rudibusque bellum,
 altero a nostro subeunte saeclo
 plaudimus omnes. 245
 Gentium dignus pater ac magister,
 magna non audes magicam per artem,
 sed tuis pollens studiis et auctus
 lumine divo.
 Hinc, velut fontem premit alta vena
 nutriendis lympha saliente rivum,
 tu novi fluxum potioris aevi
 strenuus urges.
 Ut fuit quondam duce sub Leone,
 Carolo Magno simul imperante, 255
 duplici augusto redimita serto
 Roma resurgat.

- Illius haec discors, haec plurima noctis imago.
 Sed super humanas voces variasque auerelas
 ac varios hominum fremitus, in nocte rigenti
 et stellae caelo placidae volvuntur et horae. 260
- Ex terra haud oritur visu mirabile quicquam,
 formaque nulla minax perrumpit ab aethere, nullus
 insolitus cuiquam reboans fragor excutit aures.
 Obruta muta jacent hiemalibus arva pruinis,
 candida stant nivibus montana cacumina, silvae
 vix frondes agitant submisso murmure venti. 265
- Pallidae in immensum diffusa silentia lunae
 cuncta quieta tegunt, pontum terramque polumque.
 Ferali interdum singulu noctua rumpit
 carmine et infausto quandoque silentia bubo. 270
- Custodum dantur, vigilant dum moenia, voces
 interdum resonae, resonae redduntur in armis.
- Aequo fata jugo, neutra de parte reclini,
 humani generis librari incerta videntur. 275
- Quae lanx subsiliat? vel quae propendeat? utrum
 det vitam an mortem, quasi ductis sortibus urna?
- Fit stupor in primis. Tacito subit inde stupori
 fractos extollens animos, sed cauta renascens
 spes, caeco exitii nondum terrere soluto,
 affore mox, roseo vultu de more nitentem
 auroram reducem blanda cum luce diei. 280
- Et vero primum procul alba orientis in oris,
 ecce aurora caput sublustribus expedit umbris;
 rubra dehinc, croceo tum denique pulchra colore,
 late dispergit tenebras solemque reducit. 285
- O sol, purpurea recreas qui lampade mundum,
 qui occultas promisque diem mortalibus almus,
 splendidior numquam radiasti aut carior ullis
 quam quibus emergens, non acrius ante cupita,
 spemque fidemque novam tua lux antiqua reclusit. 290
- Aegrotos ceu saepe tenent per somnia larvae
 implicitos, quos torva premunt furiaeque minaeque;
 si febris excessus penitus deferbuit ardor,
 sensibus atque animis iterum sub mane receptis,
 tamquam si cernant mira aut incognita, laetis
 intentisque oculis respectant omnia circum;
 non secus attoniti, nisi quod clamore secundo 295

undique tecta replent hilari, camposque viasque;
tunc, hominum quidquid tantus pervaserat horror,
auroramque novam celebrant solemque salutant. 300

Quin et quos tumor aut levitas, quos conscientia virtus,
denique sacrarum quos sana scientia rerum
fecerat impavidos, omnes laetantur et ipsi:
non ut si ostendant, vel in imo corde repostum
jam male dissimulent, quiddam latuisse timoris,
sed pateat, secura magis, fiducia vitae. 305

Hactenus, o lector, vario commenta reflexens
carmine, ibi paulum perstrinxit fabula veri;
respicit ad verum properans nunc tangere metam. 310

Hanc frusta celebrem post noctem, mille auae ab ortu
Christi annos, nigrans quasi linea, dividit et qua
finimus ingenio (quondam res credita vulgo est)
ancipiti exspectata metu fata ultimo mundi;
immutata viget rudis inclemencia morum. 315

Scilicet et Romae, prope Summi Antistitis arcem:
Urbs magis effrenis odiis jactatur, et armis
majore irarum veterum flagrante tumultu
concutitur.

Germana cohors perfringitur, aula
nec Laterana valet furiatae obsistere plebi. 320
Exsilium subeunt profugi Silvester Othoque:
ut flos succisus, leto hic moriturus acerbo,
vulnere percussus morbi dum moenibus ulti
agmine conferto minitari accingitur Urbis;
vix pietate redux aliena, pluribus ille 325
acriter invitus cum pars inimica superstet,⁶
vicinam opperiens mortem, mansurus in Urbe.

Praecipites ambo. Cito nam de vertice summo,
grandia qui ardenter veterum documenta secuti,
diversis populis norma una et lege coactis
sacroque Imperii Romani nomine vincitis,
restitui patriam communem posse putabant
moribus elatam rectis studiisque decoris,
sic cecidere. 330

Seges bene non maturuit, arenis
his lymphae exstinctis scatebris. Sine frugibus aetas
(saepta vireta licet praedivite rore vigerent,
quorum quodque suum large spirabat odorem, 335

*virtutum templa ac doctrinae sparsa per orbem) ⁷
asperior visa est et ferrea, ut ante, manere.*

Pulchra tamen, cultus quae humanior inde creavit, 340
egregium quidquid fama extulit inde superba,
aurora insigni dicas florescere ab illa,
quae, occiduae vitae rursum nascentis imago,
tristibus exsiliens nebulis jucunda reluxit.

Temporis apparent exordia prima futuri. 345
Hinc demum, tumidoque mari ventisque protervis,
at luce albescente simul, meliora petitum
vela putas ultro pandi, nova meta velut si
inde procul pateat, retegant nova sidera cursum.

Fluctibus in mediis tamquam de turribus ignes, 350
hinc mox carentes accendier inter et arma
incipient sancti «juris legisque lucernae»; ⁸
atque hinc doctorum verbis Europa sonare
mox in Athenaeis, jam prima ab origine claris,
fons ubi, cunctarum fines naturaque rerum, 355
ac natura boni, nec non Caellestia vera,
sublimi ingenio mira exquirantur et arte.

Ac vos, si quando post nubila purior aevi est
lux orta, aetherio cantu qui semper adestis;
mox vos, maturo sensim jam tempore, Musas 360
dejectas sacro revocabitis ore, Poëtae.

Talia crediderim solem nescisse, benigno
nil minus immites lustrantem lumine terras.

Cum tamen exoriens noctem submovit inanem
illos quae decies centum concluserat annos 365
fors et ei visa est proscindi obscurior umbra;
atque, viam pergens immensa per aequora caeli,
tum quodam splendore novo fortasse refulxit.

Historicae quaedam adnotationes

1. 1-12 Sancti Joannis «Apocalypsis», XX, 1 - 2 - 3 - 7 - 9 - 11 - 12.
2. 219 Agebatur tunc, majore studio quam antea, de conciliandis nuptiis Orbonis III cum Byzantia principe muliere.
- Arduinus vero, demarchus Eporediae, ad tempus saltem, arma movere contra Imperatorem non audebat.
3. 223-224 Hunc virum, Joannem, Crescentii de Theodora filium, Romanorum superbum

principem eundemque defensorem, callidum, ut narrant, mobilemque, sed fortissimum, anno CMXCVIII, III Kal. Maj., Teutonicorum militum magno cum gudio, in Monte Gaudii (quem Romani contra dixerunt Montem Malum), «captum et truncatum», deinde «per pedes suspensum esse», fere omnes illius aetatis annalium scriptores confirmant (cfr. Gregorovi epus «Geschichte der Stadt Rom in Mittelalter», Italice redditum a Renato Manzato, Augustae Taurinorum, S. T. E. N., 1925, vol II, tom. I).

4. 228 Adelais, Othonis Magni, uxor; Theophane, uxor Othonis II.

5. 231-233 Anemosus Ortho adulescens et quasi delirus, qui Anno Millesimo obeunte Romae incolebat, in Monte Aventino, ubi regiam suam domum aedificaverat, de Romano Imperio funditus renovando, ut novus Constantinus cum Silvestro I, vel potius Carolus Magnus cum Leone Papa III, cogitabat; Silvester II, Aurillachius ille Gerbertus, antea coenobii Bobiensis abbas, Durocortori in Gallia et Ravennae in Italia archiepiscopus, vir tanta ingenio ac atque singularissima doctrinarum varietate ut Papa magnus putaretur, in restauranda Romanae Ecclesiae dignitate ac sanctitate impigre ab domo sua Laterana ponebat operam.

Praeterea uterque, alter alteri amicissimus et (Silvestro tamen duce atque magistro) doctrinis exquisitissimi, ut illis temporibus, instructus, in liberalibus disciplinis resuscitandis elaborabat, rudibusque ingenii et moribus ad optimae vetustatis exempla excelerans.

6. 319-327 Anno MI ineunte p. Ch. n., violentiore quadam seditione exorta, Imperator et Pontifex Roma effugere coacti erant. Eodem anno, mense Mayo, in Urbem, ubi penes Crescentiorum partes victoria manserat, Hugo de Tuscia, plissimus ille demarchus, misericordia motus, Pontificem exsulem, post duos circiter annos ibi moritum (proximo mense decembri moriturus et ipse) rexexit.

Othonem III autem fama est postero anno, admodum juvenem morbo perisse (fuerunt et qui crederent perfidis medendi artibus absumptum Stephaniae, Crescentii viri sui morte viduatae), non longe ab Urbe, in castro Paterno, cum, poenas injuriarum repetendi cupidus novas ibi copias exspectaret, antequam romara moenia adoriretur.

7. 336-338 Mentio fit de Casinensi, Farfensi, Bobiensi, Fuldenst, Cluniacensi atque aliis abbatis, ut vocantur, virorum religiosorum Benedictini Ordinis.

8. 352-357 Irnerius praecipue commemoratur, cui nomen inclitum «lucerna juris» jure inditum est; quem sequuntur discipuli, «Glossatores» scilicet, a Bulgaro et Martino Gostia ad Glossatorum principem Accurstum.

Quin et, haud multo post decimum saeculum exactum, suas primas origines deduxisse accepimus pleraque illa «Studia», quae, saeculo duodecimo vel tertio decimo jam celebratissima ac magis magisque floresentia, Bononiae, Lutetiae Parisiorum, Patavii, Coloniae, Oxoniae et alibi, publica demum auctoritate Pontificum, Regum, Imperatorum, comprobata fuerunt.

Adnotationes metricae

I Phalaecel versus.

II Asclepiadei majores.

III Soradei tetrametri catalecticci, ionicis a maiore compositi pedibus, cum trium primum pedum varietatibus, quibus utitur Petronius (*Sat.*, c. 23, c. 132) et Terentianus Maurus (ineunte tractatione «de litteris», in opere, quod inscribitur «De litteris, syllabis, pedibus ac metris»).

IV Tetrasticha tribus glyconis metris cum quarto pherecratio composita, ut apud Catullum (*Carm.* XXXIV).

V Tetrametri trochaici catalecticci, secundum metricam rationem — ratiorem, sed puriorum — qua in Plautinis comoediis sparsi inveniuntur: «Maximas opimitates etc.» (*Asin.* 283); *Dēinde porro. Dēinde porro etc.* (*Trin.* 945); «usque donec persecutus etc.» (*Mil. glor.* 271).

VI Sermones alternt, scurrarum versibus galliambicis et Iurconum tetrametris trochalics catalecticis.

Ad galliambicos versus quod attinet, exemplar Catulli secutus sum juxta varias metricas rationes carminis LXIII (in versibus 2, 14, 26, 83 etc.).

VII Trimetri iambici acatalecticis, ut apud Catullum (*Carm. LII*) aut Horatium (*Ep. XVIII*), et alternt trimetri iambici catalecticis, ut apud Horatium in compositione cum aliis versibus (*Carm. I, 4; II, 18*).

VIII Dimetri iambici acatalecticis, lege et usu Horatiani, ut in epodis I, II, III, IV etc.; in compositione autem tetrasticha, ut in hymnis christianorum poetarum antiquae atque recentioris aetatis.

IX Galliambici versus, ut id adnot. VI.

De Petro Juliano Eymard Sacerdote, Novo Ecclesiae Sancto

Mahometanus quidam, cum provincias meridianas Francogalliae obiret, in oppido parvo cum Christiano ambulavit. Sermocinantes de alia atque alia re in mentionem fidei quaestionum inciderunt. Cum fortuito aedem catholicam praeterirent, Arabe auctore ingressi paulisper ibi morati sunt. Intuentes fenestras varias, altare, simulacra aliaque, quae aspectu digna erant, in subselliis postremis anum pie orantem animadverterunt. Postquam exierunt, Mahometanus haud parum doctrina Christiana imbutus: «Nonne», inquit, «creditis deum ipsum in altaribus vestris praesentem esse?» Christianus affirmavit. Tum Arabs: «Si ita est», inquit, «oportetne frequentes in templis vestris per omne diei tempus greges fidelium convenire impense gratias agentes deo, qui vobis se reliquerit? At unam anum vidi». Christianus nihil respondit, oculis dejectis tacitus terram intuebatur.

Nunc vero maximo gaudio afficimur quod Johannes XXIII, Pontifex Maximus, Dominica secunda Adventus a. MCMLXII Beatum Petrum Julianum EYMARD, veneratione Sacratissimi Sacramenti imprimis praestantem, Sanctum fecit sacerdotemque illum summissum imitandum nobis proposuit. Quare jubavit de vita ejus narrare: Natus est a. MDCCCXI in vico La Mure prope ripas Isarae fluminis in Dioecesi Gratianopolitana sito. Ut mater ei infanti mysterium tabernaculi exposuit, tanto amore Eucharistiae semper arsit, ut nullam occasionem omitteret, quin sacratissimam hostiam adoratum iret. Et Petruin Julianum jam puerum ad sacra capessenda sacerdotii munia divinitus vocari non miramur. Sed ei, ut fabri inopis filio, innumerabiles difficultates superandae erant, dum id adeptus est. Cum enim satis valeret, in fabrica folli calcando patri maximo auxilio erat. Vespere autem, cum vacabat, clam litterarum studiosos vici adibat, ut ibi paululum linguae latinae disceret. Quo tempore percommode accidit, quod puer plus et sacerdotium valde desiderans, Oblati B. M. Virginis Immaculatae gratiam sibi conciliavit, qui secum Massiliam duxit puerum et ibi novicitiis ordinis sui inseruit. Sed novus Oblatorum socius, cum avidius litteras arriperet in morbum incidit domumque patris revertit, ut ibi se reficeret. Biennio post alumnus seminario Gratianopolitano receptus a. MDCCCXXXIV gratissimo erga providentiam divinam animo primum sacrum celebravit. In posterum, priusquam ad altare accederet, duas horas se componere solebat et sacro facto tantundem temporis in gratiarum actionem sumebat. Et sacellarius Chattensis et paro-

chus Monteynardensis fideles advocare numquam desit, ut, ubicumque opportunitas adesset, Eucharistiam venerarentur.

B. Mariae Virginis amorem spirans Societati Mariae commodum institutae se adjunxit, divino autem instinctu concitatus ipse presbyterorum congregationem ad Sacratissimum Sacramentum praecipue adorandum condere intendit. Sed sacerdos modestus prima initia incohare nimis cunctabatur. Tum demum, cum consilium ejus ab episcopis pluribus et a Summo Pontifice ipso comprobatum est, Parisiis a. MDCCCLVI in domo paupere, quam bene emerat, fundamenta prima Societatis a Sacratissimo Sacramento jecit. Petrus Julianus Eucharistiae adorationi primas in ordine suo tribui partes, deinde fidelium animas sociis suis cordi esse voluit. Itaque tametsi initio tres confratres cum eo erant, tamen perpetuo Panem angelorum adorabant. Ut Sancto Ignatio, Alphonso, Johanni Bosco aliisque ordinum religiosorum conditoribus non defuerunt qui conatus eorum reprimere conarentur, ita Petro Juliano obtrectatores non pauci obviam fuerunt. Sed divino iterum afflatu societas opinione celerius per gentes Europae et Americae diffusa est. Quicunque veneratione Eucharistiae excellebant, eos societatis suae operam adjuvare sacerdos ille animarum curae studiosissimus et amantissimus Sacratissimi Sacramenti voluit. Itaque biennio postquam societatem suam instituerat, ordinem ancillarum a Sacratissimo Sacramento condidit, eodemque anno presbyteros operi suo faventes in fraternitatem Sacerdotum Adoratorum conflavit. Denique, ut praecipuae partes orbis catholici eximio in Panem caelestem amore perfunderentur et ad adorandum perpetuo excitarentur, congregationem a Sacratissimo Sacramento constituit; quae fraternitas respondit coetui Sacerdotum Adoratorum.

Ita Deus demisso illi sacerdoti summo studio venerationem suam provehenti prosperos successus dedit. Mortem obiit Petrus Julianus duodesagesimum annum agens (a. MDCCCLXVIII) in vico patro, ubi natus erat, diuturno morbo afflictus. Pius Papa XI eum Beatum consecravit et nos illustre exemplum novi Ecclesiae sancti Imitantes libenti animo dicere oportet secundum graduale Dominicæ secundæ Adventus, qua Johannes, Summus Pontifex, eum Sanctum fecit: •Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus• (Ps. 121, 1).

RUDOLPHUS SCHMITT
Magister Saraludovicensis

NOVA ET VETERA

COLLOQUIUM DE TABACO¹

Personae: DAVID, fumo hauriendo maxime deditus,
ALBERTUS, socius Davidis,
JOANNES adulescens, in tabaco sugendo praecocissimus,
GUSTAVUS senex, tabaci venditor.

I. Ad tabernam tabaci euntes...

DAV. — Ehol, quo convolas Alberte?
ALB. — In tabernam tabacariam, ut contusi tabaci capsulam emam, itemque chartae tabacinae libellum. Pater tabaco indulget quam maxime.

DAV. — Sed non est cur tantopere properes. En tibi convolvellus sulphuratumque quo eum incendas.

ALB. — Benigne, sed, ut dixi, patri, non mihi, emendum est.

DAV. — Ergo tu non fumum sugis?

ALB. — Immo, et eleganter et emittere fumum interdum scio. Sed tamen nondum est mihi vitium inveteratum.

DAV. — Mihi utique est. Odoratum fumum leniter dulcissimeque haurire mihi mirum in modum placet. Aliquando tabaco indulgeo fumi-sugio, saepius vero —praesertim diebus festis— voluminis habani fumum duco. Nescio quo pacto

quibusdam locis graviter interdictatur ne quis tabaco indulgeat...

ALB. — Uti video, ut caminus fumum sugis et emittis, totus enim in fumo tabaci es.

DAV. — Ita sane. Quid vis? Inde ab adulescentia jam nimio tabaci studio ducor. Et tanta in hoc vitium —ut ajunt— feror cupiditate, ut non facile ab eo abstinere videar posse.

ALB. — Quantum tabaci cottidie assumis?

DAV. — Duas convolvellorum capsulas, interdum vero tres et quatuor.

ALB. — Ain' vero? Quae istaec est profusio?

DAV. — Nonne vides summos digitos exustos et flavo colore intinctos?

ALB. — Video quidem. Et tamen nicotinae abusus venenum dicitur esse. Dosis enim quinque centesimae grammatis nicotinae purae

1. Ut recte hoc «de tabaco colloquium» intelligas superiores PALAESTRAE LATINAЕ fasciculos adeas oportet et in primis n. 171: 30 (1960) 161, ubi parvum lexicon de tabaco proposuimus; praecipuas tamen voces infra sub parvo indice inspicere potes [MODERATOR].



PARVUS VOCABULORUM INDEX

- | | |
|--|---|
| 1 fumisugum, (infundibulum) <i>pipa</i> | 6 voluminuin tabacinorum theca, <i>capsella</i>
<i>cigarrera</i> |
| 2 cinerarium, excipulum cinerarium <i>cen-</i>
<i>cero</i> | 7 hispanicarum, (convolvellorum) <i>capsula</i>
<i>cajetilla, paquete de cigarrillos</i> |
| 3 volumen tabaceum <i>puro, cigarro</i> | 8 fistula tabacina <i>boquilla</i> |
| 4 adulescens per labra fumum reddit el jo-
<i>ven echa humo por la boca</i> | 9 voluminum tabacinorum <i>capsa caja de</i>
<i>puros.</i> |
| 5 Ignarium <i>encendedor</i> | |
-

taberna tabaceria *estanco*
 contusi tabaci *capsula, (compactura tabaci) paquete de tabaco*
 chartae tabacinae libellus *librito de fumar*
 convolvellus - hispanica *cigarrillo*
 nicotina *nicotina*
 hispanica colo praemunita *cigarrillo con filtro*
 convolvellus ligula e gossypino praeditus *emboquillado con algodón*
 hispanica nicotina vacua *cigarrillo desnicottizado*
 tabacum in fibras concisum *picado de hebras*
 funiculus incendiarius *mecha*
 mundatorium fumisugit *limpiapipas*
 theca voluminibus tabacinis asservandis *caja de cigarros*
 sulphurorum theca *caja de cerillas*
 cicum colilla - tabacum pulvereum rapé
 magnus fumi haustor *estupendo fumador*

semper a medicis mortifera est habita.

DAV. — Non sum ignarus..., sed quid agam? Non possum quin fumum tabaci hauriam. Ita eo plane captus sum, ut ab eo abstinere perinde ac mors mihi foret. Medicus certe mihi graviter interdixit jam diu, sed... Quapropter deinceps variis remediis usus sum; primum hispanicas adhibui colo praemunitas; deinde convolvellis ligula e gossypio praeditis, postremum hispanicis nicotina vacuis operam dedi; sed hujusmodi tabacum minimae virtutis mihi esse videbatur. Nunc demum fistula tabacina utor, quamvis non semper, neque enim jugiter eam mecum porto.

ALB. (*Inspicit horologium*). — Sed tempus est, ut tabernam tabaci me conferam; pater enim jam dudum expectat: ne sis mihi in mora. Nisi adfuerim in tempore, actum est de pelle mea.

DAV. — Licetne te comitari?

ALB. — Cur non? Ut libet. Festinemus non nihil.

Albertus et David per vias incedunt amissimè colloquentes de usu et abusu tabaci; tum, ex improviso, compitum transgreduntur et obviā veniunt cuidam cūrītori, qui incondita voce clamat: «Est vobis tabacum! Venale prostat tabacum!» — Albertus accedit videtque, inter cetera, tabacum in fibras concussum, funiculos incendiarios, mundatoria fumisugili aliaque hujusmodi, sed omnia tantil sunt pretii, ut emere aliquid supersedeat. Misso ergo cūrītore, ambo officinam tabacariam sine mora capessunt.

II. Inter fumi nubeculas...

David et Albertus in tabernam ingrediuntur in qua senex Gustavus, tabaci venditor,

multis inservit emptoribus. In taberna autem prostant tabaca omnis generis, nempe bubal, Diana, philippinum, columbianum, anglicum, atrum, flavum, patrium exterumve, quae quidem suavissimum exhalant odorem. Praeterea pulchra fumisugia venalia etiam prostant mirae et exquisitae figurae, ut infundibula e maris spuma, convolvellorum thecae affabre pictae, fistularum quoque magna copia, pyxides voluminibus tabaciniis asservandis, ignaria multiplicita, capsellae ligneae e sandalide cum crustis auratis tabaco pulvrate condendo, sulphuratorum thecae, cetera.

Gustavus senex qui monopolio fruitur et tabacum abunde vendit, acriter tabacum redolens, laeto animo, inter fumi nubeculas ex ore prolatas, sibi advententes cum gaudio salutat. Tum Albertus:

ALB. — Salve multum, senex! Salvete pariter omnes!

GUS. — Salve! Quid agis, Alberte?

ALB. — Sic se res habent meae: corpus valet, aegrotat crumena.

DAV. (*Ad Gustavum*). — Quo pacto se res habent tuae?

GUS. — Satis ex sententia. Quid me vultis?

ALB. — Da mihi dissecatum tabacum, volumina tabacea et habana quinque; deinde chartae tabacinae libellum.

Non procul a colloquentibus, dominula quaedam excipulum cinerarium conspicit emitque, quam David urbane et obsequenter hisce prosequitur verbis:

DAV. — Estne, dominula, fumus tibi incommodo?

DOM. — Minime, domine; nunquam tabaci fumus mihi molestiam perperit, immo eo valde delector; quin etiam haud semel fumum duxi, mihiique, post prandium et cenam praesertim, in deliciis est.

DAV. — Licetne igitur dare operam fumo?

DOM. — Quidni liceat, cum mihi faciat satis?

DAV. — Gratias ago. Feminas nostrae aetatis non pudet nicotiana herba uti...!

DOM. — Ita est, benigne.

DAV. — Placetne ergo tabaci Dianaē fumum haurire?

DOM. — Placet.

Interea Gustavus senex Alberto petita porrigit, et

GUS. — Quid amplius?

ALB. — Satis est.

DAV. — Qui postquam callide haustus fumi suxit, volumen tabacīnum medium absumptum projicit in cinerarium cicorum adhuc fumantium repletum onustumque. — Da mihi tabacum pulvereum, ut nares opbleam, et capitūs hebetudinem tandem expediam.

ALB. — Eho, tu quoque his sordibus indulges?

DAV. — Ita sane; sed nescio cur tibi hoc sordidum videatur. Falleris, Alberte. Aliquando periculum facias oportet. Nihil enim suavius, nihil salubrius quam pulverati mica tabaci.

ALB. — Non inficias dabo. Verum mihi semper prorsus displicuit. Satius, ut reor, est fumisugium referire tabaco, quam nares sordide pulvere implere.

DAV. — Tua pace dicam, Alberte. Nares semper mihi visae sunt tanquam infundibulum quoddam a natura datum iis qui in tabaco hauiendo vel maxime sumus obstinati...

ALB. — Age, inepte! quid ais? Miror quomodo tam stultum quicquam tibi venire in mentem potuerit! Mitte jocos; te istud loqui!

DAV. — Dico quod sentio; non ergo est, quod mihi succenseas.

Postea David hispanicam offert Alberto, dum ipsem chartae tabacīnae libellum promitt, manibusque convolvellum involvit.

ALB. — Apage nugas, David. (*Ad Gustavum*): cedo, ignem.

Gustavus igniarium porrigit benzīnae plenum et quasi madidum, quod non accenditur.

DAV. — Forsan lapidem igniarium non habet. En cereoli.

Albertus hispanicam accedit, fumum adspirat absorbetque, et tum per nares emitit, tum per labra fumum reddit. Illico in tabernam irrumpit Joannes quidam adulescens, qui ad senem se convertit petitque ab eo machinulam convolvendis hispanicis, dum ipsum convolvellum in labris succensum gerit. Tum Albertus:

ALB. — Atqui tu adhuc puerulus es, jamque fumum sugis? Et quidem eleganter!

JOAN. — Quippini? Quindecim annos natus sum. Non tam puerulus ergo, ut videtur. Certe, initio, cum tabaci fumum ducebam, ad nauseam concitabar, fastidioque capitūs laborabam. Nunc vero, odori et sapori assuefactus, tabaco utor quam qui maxime.

DAV. — Sed, uti video, nondum fumum absorbes, ac proinde magnum te esse fumi haustorem praedicare non potest

JOAN. — At quid refert? Satis est suavissimum fumum naribus dare. (*Joannes cincinnum projicit*). Sed..., Gustave, —qua es comitate—: gratumne facies? Da mihi, amabo, volumen habanum.

GUS. — Nequaquam. Joannes; ad nauseam te movebit. Ceterum, his-

panicam jam medium absumptam
projecisti.

JOAN. — Denegabis mihi rem tantillam? Age, da mihi habanum, obsecro.

GUS. — Esto; verum non habanum,
sed convolvellum flavum tibi praebeo. Minimae enim virtutis est,
et nihilo minus grato sapore praeditum. Vide sis tabaci quid sit.

JOAN. — Gratiam habeo. Flavum quidem lene videtur, attamen fauces irritat. Quod ad me attinet, atrum flavo praefero, sed nihil moror colorem, modo aliquem saporem habeat.

Joannes accipit convolvellum. Gustavus vero offert pro eo hispanicam nicotinam vacuam. Joannes Ignatio accendit, fumum quidem adspirat, ac deinde per labra reddit, aegreque fert quod nicotianam vim non sentiat. Tum Joannes:

JOAN. — Abi in malam rem, Gustave.
Hoc convolvellum nullam habet
nicotinam, nullumque saporem!

GUS. — Ehem! Ego non sum in culpa;
quid in te feci? peream, si mentiar.

JOAN. — Fabulae...! Sustines id negare?

DAV. Tace sodes. Minue iram, Johannes. Satis jam verborum est. Hispanicam projice, et accipe istud habanum.

ALB. — Noli nimium stomachari. Habanum, inquam, succendas, quae so, iramque tuam cohibe.

Joannes cíccum jacit, deinde habani cíngulum detrahit, et volumen succendit; ac subiratus, inquit:

JOAN. — Me illudere voluisti; sed mei memineris!...

DAV. — Domum revertamur, Johannes; nunc ipse te collige, ac potius fumum adspíra. Da, obsecro, suavissimum fumum naribus, et mihi crede, nervos tuos citius sedabit.

ALB. — Eamus, Joannes. Vale, Gustave: alias latius nugabimus; jam me tempus alio vocat. Hujus rei immemor esto.

DAV. — Vale in crastinum et pollicem premas!

GUST. — Valete, valeantque curae!
sed mementote: venale hic prostat vobis semper tabacum...!

Medellín in Columbia, a. 1962.

LEO M. SANSEGUNDO, O. S. B.

EPISTULARUM INTER SOCIOS

COMMERCIUM

Bonamicus Actensis maxime reverendo Josepho M.^{ae} Mir s. p. d.

...Jam nunc in nova editione *Locutionum Cotidianarum Glossarii* compонendo totus sum. Capitulum addo de «Ludis» in quo est descriptio campi in quo exhibetur is ludus quem *Basebal* nuncupamus. Numeros PALAESTRAE usque ad 144 —superiores non habeo— perscrutatus multa utilia repperi, sed haud multum de hoc lusu. Quantum tu de eodem noveris, nescio. At campus in quadrum quod *Infield* s. «area interna» et in aream extra hoc quae externa vocatur discriptus est. In angulis quadri sunt bases quas «stationes» nuncupavi. Ea cui nomen indidi «stationi summae» est *Homeplate*. Post hanc stationem «acceptor», —ille utique qui pilam a «pilario» jactam prehendit—, nisi «factor» eam prius icerit, caput inclinat, hoc ne «clava factoris» prosteratur. In medio quadri est «grimus» unde pilarius pilam jacit. Pone pilarium et exadversus summam est «statio altera» prope quam a dextro stat *short - stop* quem nuncupo «custodem intermedium», quia inter custodes stationum alterius et tertiae et extra lineam quadri stat. Qui stationes custodiunt (nos dicimus: *guard the bases*) eos «custodes stationum» (nos: *basemen*) nuncupo.

Qui in area extra quadrum stant, tres numero, quos *right*: «dextrum», *left*; «sinistrum», *center*; «medium» *fielders* nuncupamus, eos ego «exteros (custodes)» vocavi. Eorum est pilam in longinquum a factore iactam apprehendere aut recuperare, si longinquius mittitur quam ut eam volantem prehendere possit et ad custodem alterius stationis jacere.

A latere summae stationis lusu commisso stat factor paratus ad pilam, si bene jactam, feriendam, si potest, aut, si male jactam, omittendam. Hic si pilam ita ferit ut unus ex custodibus eam usque volantem nec prehendere nec ad custodem primae stationis prius jacere potest quam currendo eam tetigerit, factor incolumis esse dicitur.

Miror utrum haec nomina tibi probentur necne; qua de re, si me, quae erga me benevolentia, certiore facies, hoc beneficio tibi ero maxime obnoxius.

Te valetudine florentem spero fore ut haec epistula inveniat atque D. O. M. incepta tua omnia prosperet. — Vale.

Nonis Augustis, a. MCMLXII.

Josephus M.^{ae} Mir, CMF. cl. v. Bonamico Actensi, s. p.

Studium diligentiamque quae in lingua latina excolenda, excitanda, impensis fovenda contulisti, plurimi facimus ac summopere laudamus. In eam, qua ingressus es, viam firmo constantique animo permane ac progredi conare.

Omnia, quae in epistula tua profers, accommodata vocabula, probo. Quae ad illum vestrum ludum *baseball* —quem «follem ovatum» Holzer dixit (Cfr. PAL. LAT. 24 (1954) 146)—spectant investigavi et, quamquam non omnia plane percipio, intellego tamen verba quae tu proponis, apta esse.

Nonne pro grumo probabilior esset «cumulus», fortasse «acervus»?

«Acceptor» et «factor» quinam sint non explicas, sed similia verba esse sentio atque illa quae J. Holzer in taeniludio adhibet (Cfr. PAL. LAT. 27 (1957) 223).

Omnia igitur probanda videntur.

Fac optime valeas, humanissime vir.

Scr. Barbastro, die 18 mensis augusti, anno 1962.

Bonamicus Actensis maxime Reverendo Josepho M.^{ae} Mir, C. M. F., s. p. d.

Epistula tua die 18 Aug. data tempestive allata est. Eo demum tempore quod puella a manu abitura erat, non modo otiandi cauusa sed sua omnia prius comparandi quam ad studia rediret, pro virili parte in «glossarium» conficiendum incumbebam. Posteaquam abiit, ego et uxor ad oram maritimam feriatum abiimus. Nobis tandem reducibus, inierat annus scholasticus. Sunt mihi horno quinquaginta fere discipuli atque acroasis, quam de «Lingua Latina Viva» ad Universitatem Pennsylvaniae in contione magistrorum magistrorumque, quae contio *Schoalmen's Week* dicta quotannis habetur, a. d. V Idus Octobres facturus eram, conscribenda erat.

Cum me morae respondendi piget, tum gratias tibi agere volo maximas plurimasque quod ad me exemplo respondisti. Laetus sum quod verba quae promebam tibi esse apta videntur.

Quod ad vocabulum «grimus». Diu considerabam quod nomen illi terrae acervo inderem unde dator pilam jacit. Hic est in altitudinem non amplius quattuor vel sex unciarum acervatus et post eum persaepe est cavum ejusdem tere altitudinis. Forcellini dicit grumum esse 'acervum terrae minorem' et Festus 'terrae collectionem minorem tumulo'. Quam ob rem vocabulum hoc mihi aptum esse videbatur.

Uti scias percipiasque qualis lusus *baseball*, sic habeto. Factor (PLAUTUS, Curc. 2. 3. 18) ad summam stationem clavam tenens stat. Pone inclinat, ne clava feriatur, acceptor, tutamine protectus, pilam accepturus, nisi a factore clava icitur.

Dator (PLAUTUS, ibidem) sive pilarius pilam jacit, quam factor, si eam bonam, i. e. recte jactam esse judicat, icere conatur. Si pilam clava non tangit, siquidem icere conatus est, ictus esse dicitur. Arbitrū simul clamat: ictus! Si ter eam frustra icere conatus est, eicitur et ad «sedilia» mittitur. Si autem pila clava tacta extra lineas cadit neque ab acceptore aut ullo custode capta

est, primo et iterum tacta pila ictus esse dicuntur. Postea nihil refert quoties sic tangatur pila, dum aut factor ter frustra pilam icere conatus erit aut dator quater male pilam jecerit.

Si factor ter frustra icere conatus erit, ad sedilia remittitur; sin autem dator quater male jecerit, factor ad primam stationem, ut dicitur, ambulat. At pila bene icta, factor ad primam stationem quam ocissime currit, quo nisi pila volans a custode capta est vel ab aliquo custode capta et ad custodem primae stationis jacta ab hoc prius quam factor advenire possit capta erit, «incolumis» advenit. Pila satis in longinquum locum vel extra finis campi missa, factor jam «cursor» duas, tres stationes, quin immo totum stationum cirtuitum facere potest.

Si pila, dum volat, ab aliquo custode capta est, factor ad sedilia remittitur. Sint autem pila prius terram tangit quam a custode capta est neque custos eam ad custodem stationis jacere potest, priusquam cursor advenerit, hic incolumis est. Sin autem contra, eicitur.

Si ad omnem stationem est cursor, i. e. si stationes, ut nos dicimus, plenae sunt, et factor pilam tanta vi peritiaque pilam icit ut finibus campi excessis quattuor cursores circuitum compleverint, quantus exoritur stridor faventium, qui laetitia gestiunt, exsultant, ad raucam ravim ululant...

Numerus eorum qui litteris latinis student de anno in annum crescit et multi ea lingua loqui volunt. Praeterea inter magistros et professores sunt qui ipsam disciplinam mutare et veternum torporemque excutere velint. Ipse addo tantum quantum possum stimulorum. Dominus omnia tua incepta secundet et tibi benedicat. Vale.

Bene merentissimo Moderatori «Palaestrae Latinae» P. Bernardinus Fontaninus sal.

Gratiā tibi in primis, Pater Reverende, habeo quod locum mihi in ista PALAESTRA dedisti. Attamen interdum, si non semper, honor vertitur in onus. Invitasti enim ut indicem locorum nostrarum urbium ac regionum conficerem. Res mihi prima specie alicere visa est, at laborem perpendenti negotium esse apparuit magis quam otium. Nomina enim locorum sic configere soleo. Si gentile nomen latinis auribus concinit, idem ita accipio uti est. Si parca detorsione aptari potest, aptatur. Aliter, quaestionem expedio ope originationum vel auxilio advoco facta, eventus historicos aut loci naturam, cet.

Utrum aliquando, quasi per transennam, liceat longos circuitus necne ambire et velut runcina utentem nomen vulgare, asperitatibus sublati, veste latina exhibere specieque romana ornare, qui harum rerum sensum habeant iidem judicent.

Unum exemplum proferam. Est municipium non longe Victoria, quae est urbs nostrae commorationis, qui hispanice vocatur «Lucas González» et

sermone familiari «Lucas». Incolae dicuntur «Luquenses». Patronus Templi paroecialis est Sanctus Lucas Evangelista. Pronum est ut oppidum *Lucas* et incolae *Lucenses* appellantur.

Ex vocabulo autem «González» nihil effici potest? Quidam contrarium sensit. Ait enim: «González latine est «Gundisalvus». Deme *Gundi* quod latide non sonat; restat *salvus*. Ex *Salvus* fac «*Salvinum*» (intellege oppidum). Habis nomen oppidi. Incolae dicentur «*Salvinates*», ut ex *Arpinum* et *Aquinum* «*Arpinates et Aquinates*». Quid vobis videtur?

Sed ut redeam eo unde veni, dico rem perplexiorem esse conficere indicem latinum locorum qui longe absunt, tum ob ignorantiam etymologiarum tum ob historiae ceterarumque locorum rationum inscitiam. Et tamen aliqua nomina, et fortasse multa, video esse mutanda. Verbi gratia, in Mexico sunt nomina ex Aztecarum lingua deprompta quae aurum pelliculas laedunt latinarum. Ea scilicet sunt aliis suavioribus mollioribusque mutanda. Quis in negotio magis destinatum quam civis Mexicanus, qui latine sciat, adipiscatur?

Nunc obiter dicam de novis latinisque nominibus per interpretationem ex lingua patria inductis quid sentiam. Hanc rationem Hebraei, Graeci, Romani saepe tenuere. Ergo id insolitum non est et nonnunquam viam praebet facilem ad negotium expediendum; immo, nomina quandoque sunt valde poetica.

Illud tamen incommodi afferunt, quod nihil de sonis primigeniis novae voces retinent.

Perspicuum est quantum Romani Pontifices latinis litteris prospexerint; sed Joannes XXIII monumentum exacturus esse videtur incomparabile latinae linguae academia excitanda atque instituenda.

Κολοφῶνα δηδαλή ὁ Ἰωάννης ἐπέθηκεν.

Haec disciplina plena vigore ad antiquam gloriam haud dubie reversa cum omnium gentium doctissimos viros cooptaverit in amplissimum coetum, facilius et certius sibi viam sternet quaquaversus toto orbe terrarum. Ut Ciceroniano verbo utar, mundana iterum evadet haec lingua, si non ad usum vulgi, at certe eorum qui altioribus studiis ingenia acuerunt.

Nunc denique ignosce mihi ad te qui indicem nominum meae Provinciae miserim, non quod digna sint quae in PALAESTRAM istam inserantur, sed quod ad alios excitandos valeant, ut tale opus suscipiant, quisque in sua regione, et sic mundus magis fiat latinus. Quod quidem quantum sit e re Ecclesiae Catholicae cordatus quisque perspicit.

Extremum aequi bonique has plagulas facito. Vale.

Has litteras dabam ante d. VII Idus Junias.

INDEX NOMINUM INTERAMNENSIA

1. Alberdi	<i>Alberdium n.</i>	11. Molino del Doll	<i>Pistrinum ad Dol-</i> <i>liam</i>
2. Las Garzas	<i>Ardeae f. pl.</i>	12. Pajonal	<i>Palearium n.</i>
3. La Tacuara	<i>Arundinetum n.</i>	13. La Tapera	<i>Parietinae f. pl.</i>
4. Cuchilla Redonda	<i>Collis Rotundus</i>	14. Achiras	<i>Sagittariae f. pl.</i>
5. Jacaré	<i>Crocodilus</i>	15. Sauce	<i>Salictum n.</i>
6. Caseros	<i>Furnarii m. pl.</i>	16. Las Cuevas	<i>Speluncae f. pl.</i>
7. La Picada	<i>Intersilvana f. s.</i>	17. Espinillo	<i>Spinifera f. s.</i>
8. Jeruá	<i>Jeruvia f. s.</i>	18. Ramblones	<i>Stagna n. pl.</i>
9. Alcaraz	<i>Orcia f. s.</i>	19. Strobel	<i>Strobelia f. s.</i>
10. Spatzenkutter	<i>Passerinum n. vel</i> -ina	20. Valle María	<i>Vallis Mariae</i>
		21. Aldea Brasilera	<i>Vicus Brasilianus</i>

Jos. M.^a Mir, C. M. F., Rev. B. Fontanini, O. S. B., sal. pl.

Quas tu optimo consilio proponis rationes aptandi aut reddendi nestrarum urbiū nomina in latīnum sunt omni commendatione dignae, eaeque semper animo obversentur oportet cum latine urbes nominare volumus. Eam in primis probo et insequendam duco viam qua nomina per interpretationem seu conversionem ex ipso vocis sensu in latīnum inducuntur.

At illa quae de LUCAS GONZÁLEZ, ex quo *Salvinates* eruere contendis, nimium acute fortasse, nonne? Ita saltē nobis...

Bernardinus Fontaninus, O. S. B., Reverendo Patri Josepho Miro, C. M. F., Palaestrae Latinae Moderatori, salutem.

Deus tibi rependat quaecumque optas pro benevolentia qua nos in *Palaestram* excipis. Sodalis Benedictini, fratrī Basilii, de cognominibus latine formandis ac velut cudendis perconctationes animadvertis. Rem negotiosam nolo tangere, verum valde placet ut latine flectantur cognomina quae quasi sua sponte latino jugo sese subjiciunt. Ideo *Bellarminus* cur non retineatur pro indeclinato «Bellarmīno»? Alius sodalis ex Ordine nostro, Gregorius Joseph, quae sibi viderentur de modo vocis gallicae «Lourdes», in latīnum convertendae exposuit. Ab hispanice loquentibus, item Italīs et Lusitanis, aut ego fallor, aut praefertur forma *Lorda* et melius *Lurda*. O quod est ante u aut parum aut nihil amant Latīni. Praeterea omnes gentes excultae non solent dicere *Lo-urdes* (Λουρδοί), sed vocem more gallico pronuntiant. Sed gallicum *Lour* Latinis erat *Lur*.

Pro nomine hispanico-argentino *La Rioja* scripsi «Rioxā», ut est in Ordine Ecclesiastico, quia invenire nequivi nomen latīnum quod usurparunt veteres ad vestram *Rioja* efferendam; sed in praesens res se aliter habet. Ideo malo latine dicatur: «Ruconia f. vel Rīgovia f.» (in Argentina).

El Chaco dixi «Ferdinandia» f. ex nomine Ferdinandus. Ignorabam enim quid guaranitica vox significaret. Verum opportunitatem nactus sermonis guaranitici discendi, eam provinciam «Phasianus» nominare juvat et incolas «Phastianinos».

Posadas «Rochi Fanum» dixi ad recolendam memoriam Beati Rochi González, Missionarii ac Martyris Jesuitae, qui illas regiones perlustravit. Attamen cum olim vocaretur *Itapua*, hoc nomen plane retinere potest, siquidem non plus a Latinis dissidet quam *Capua*. Ergo ut *Capuanus-a-um* ita dicere licet *«Itapuanus»*.

Quam «Concordiam» nominaveram Sancta Sedes in episcopalis sedis creatione «Forum Concordiae» nuncupat. Rei rationem rogatus, hincere non sum ausus donec Lutetiae Parisiorum forum exstare comperi quod «Forum Concordiae» vocaretur, scilicet gallico vocabulo. Mecum reputavi nostram urbem interamnensem (*entreriana*) «Forum Concordiae» appellari a clero Gallo vel Lutetiano in romanis consiliis officio fungente. Rem iterum versavi quo magis perspicue veritas appareret. Tandem nodum aliter solutum credidi. «Forum Concordiae» mihi plane idem videtur sonare quod nostrum *Villa de la Concordia*.

Quid enim aliud declarant illa «Forum Appii, Forum Cornelii, Forum Julii vel Julium Forum Voconii» nisi propemodum nostrum *villa?* At silent de hoc sensu vel ipsi oceanii vocabulorum, ut arabico more loquamur.

Quam multa videmus pretermissa passim!

Nunc prosequamur americanarum vocum indicem.

1. *Las Antillas*, quanquam presse loquendo eas *Anteinsulae* vocare cogemur, malim dicere *Antiliae* f. pl.
2. *Mar de las Antillas* = Mare Antiliacum
3. *Cabo de Hornos* = Furnorum Promunturium
4. *Estrecho de Magallanes* = Fretum Magallanicum
5. *Estrecho de Bering* = Fretum Berinum
6. *Mar de Bering* = Mare Berinum, Berinicum
7. *Golfo de San Jorge* = Sinus Sti. Georgii
8. *Mar de Baffin* = Mare Baffinum vel Baffinicu
9. *Tierra de Baffin* = Baffinica Regio, Baffinicae Regiones
10. *Groenlandia* = Viridis Regio vel Prasinia-e f. (a voce graeca πράσινης).

Tandem nuntio me jam inde a pluribus mensibus latine loqui continenter cum nostro magistro principi latinæ linguae. Usus docet multa, usus viam terit, ut facile et cum risu omnia sensa promamus.

Ni erit tibi grave, Deo favente, quondam aliquarum vocum interpretationes mittam quas vix perfuctorie multos legentes credo percurrere nec satis quid declarent perpendere.

Haec cum dico, maxime Livium, Tertullianum, Hieronymum, Augustinum cogito.

Deus tuis optatis ac laboribus tuis adspiret et olim mercedem copiosissimam reddat. Vale et prospere procede.

Ex Victoria, Nonis Novembris.

P. Caelestis Eichenseer OSB R. P. Josepho Martae Mir, Domino dilectissimo, S. P. D.

Redditā est mihi epistula tua, qua mihi respondisti commentarios meos nuper missos in PALAESTRA LATINA typis descriptum īrī et ad Christum natum et novum annum feliciter incohādūm optima quaque precatus es. Pro quibus verbis tuis benevolentissimis gratias tibi ago quam maximas.

Deinde me interrogas, cur scripsērī sc̄ribique voluerim diphthongus. Ad quam quaestio-
nem hic saltem paucis putavi respondendum esse φθ diphthongos graecas in latinum transla-
tas esse tantum ut p̄th, cf. CIL VI 18002. 2 APTHORVS; cf. STOLZ-LEUMANN, Lateinische
Grammatik, editio quinta, vol. I, Monachii 1926, § 115 (p. 131)

De vocabulo autem diphthongi ipso cf. ThLL V, 1 1227, 9-37.

Deinde ex me quaeris, quare adhibuerim adjективum, quod est 'modernus (-a, -um)'. Id
feci, primo quod hoc verbum jam apud auctores Christianos antiquos invenitur (cf. ThLL VIII
1211, 50 - 1212, 7), non est mediaevale tantum. Deinde consulto hoc feci, ut vel hoc modo
sensus eorum quodammodo excitarem, qui rebus 'modernis' facilius repugnant. Cum enim in
doctrina dogmatica juramentum antimodernisticum, quod dicitur, suum habeat locum, con-
sentaneum est, ut in rebus, quae ad litteras latinas latine appellandas pertinent, revera mo-
dus antiquus isque optimus eligatur. Haec hactenus!...

Dabam ex archibabatia Ottiliensi die 3 m. Januari anno 1963.

Josephus Ijsewijn Josepho M. Mir S. P. D.

Ultimum anni MCMLXII libellum PALAESTRAE LATINAE eadem, qua
semper soleo, cura et diligentia perlegi, rursus etiam tuam latīnae linguae
peritiam et prudentem verborum novandorum artem admiratus sum. Pro
certo itaque habeo et has, quae propere conscriptae sunt, observatiunculae
gratas tibi fore.

Quae de voce *Chocolata* in latīna lingua retinenda docte disseruisti omni
ex parte probavi tibi que alia testimonia ad tuam confirmandam opinionem
heic subministravi:

Carolus Rotius S. J. (1698-1742), Carminum et Orationum (Patavii,
1741) haud spēnendus neque rudis auctor bis voce usus est:

p. 21: Ad Franciscum Grimaldum S. J., a quo auctor *Chocolate* donatus
fuerat.

p. 30: Poeta, quum maxime cogitaret de abstinendo in posterum a *Cho-
colate*, oppressus amici munere consilium differt.

Auctor itaque vocem tertiae declinationis (*chocolas, atis*) usurpasse vide-
tur. Ad nos autem quod attinet, ultimum ex animo scrupulum confidenter
evellamus et voci latīnam, quam diu obtinuit, civitatem prorsus comprobe-
mus. Neque dicere fugiam, ubi quandoque res ita postulaverit *chocolatarius*,
chocolatifex, *chocolatificum*.

Transeamus ad *arienas*, de quibus p. 467 egisti: Apud Plinium XII. 24
(seu 12 seu 6) ita legitur in ultima editione critica, quam A. Ernout anno
1949 Lutetiae edidit in bibliotheca Budaeana: «Arbori nomen palae, pomo

arierae». Quibusdam manuscriptis etiam lectio *ariena* traditur, quae minus probanda videtur.

Apud poëtas vero recentiores metri causa arborem «*bananam*», pomum autem «*bananum*» appellatur. En tibi testimonia, quae augeri possint:

ALEXANDER ZAPPATA Comaclensis Italus (1860/1929):

Finitimae pelago reptavi in margine silvae,
Ubertim carpens orientes sponte BANANOS.

HIPPOLYTUS GALANTE Romanus:

Ultro largitur densos BANANA recemos.
(*Sanicta*, Romae 1957, I 211, p. 18)

HENRICUS C. SCHNUR Neo-Eborancensis:

Illic mala vides aurantia condita cistis
Purpureasque uvas iuxta flavosque BANANCS.

(*Iter ad Septentriones*, Amstelodami-Hoeufft, 1961, vv.
171-172 *Pegasus Tolutarius*, Aldenardae 1962, p. 73).

Tandem tertium quid: ribi procul dubio notum est vox anglica ubicumque terrarum usurpata, TEEN-AGER dico, ad eos significandos adulescentulos, qui inter tertium decimum et undevicesimum aetatis suae annum pervenerunt (TEEN = decem in compositis *thirteen*, *fourteen*, etc.; AGE = aetas). Hos adulescentes nederlandice «TIENER» vocamus, a voce TIEN = decem. Latina autem appellatio nondum, quod sciam, proposita est. Itaque te rogo perpendas num *Decimio / onis* vox apta foret vestis latina notionis, quae usus est cotidiani vulgatique in sermonibus vernaculis. Derivata est, ut patet a voce latina *decem*.

Lovanii, Kal. Febr. MCMLXII.

Josephus M.^a Mir, CMF. Josepho Ijsewijn salutem pl.

Tandem vox tua iterum auditur; ex quo enim Romam te contulisti, nihil prorsus de te compertum habebamus.

Quod nostra probas et nos gaudemus, tibique gratias quam maximas quod novis argumentis locisque scriptorum propositas voces confirmas. Accipiamus igitur et *bananas* et *bananos*, praesertim cum veterum vox (*ariena*) in dubium vocetur.

Nos *chocolatam* dicamus melius quam *chocolatum*; neque accipiendum aut fingendum puto *chocolatasatis*.

Et quoniam me tuis quasi tentasti verbis ut de aliis vocibus judicium proterrem, en tibi, quem mecum cogitaram, de *chocolata* verborum indicem: CHOCOLATARIUS *chocolatero*.

—adject.: quod ad *chocolatam* spectat.

—subst.: qui *chocolatam* vendit.:

CHOCOLATIFEX·ICIS *chocolatero*

—qui chocolatam *conficit* —vel ad potionem parat—;

VAS CHOCOLATIFERUM *chocolatera*

—vas quo conficitur chocolatae potio aut mensae infertur;

(**OFFICINA seu FABRICA**) **CHOCOLATARIA** *chocolateriu*

—locus ubi venit chocolata vel chocolatae potio; dici etiam potest tan-tum *chocolataria* ut «libraria, argentaria, caementaria, aeraria, ferraria»...;

QUADRA CHOCOLATAE *tableta de chocolate*;

QUADRULA CHOCOLATAE *porción, pastilla*;

CHOCOLATILLA *chocolatin*;

—quam vocem A. Guercio, doctissimus vir, adhibuerat in opusculo cui index *Feriae Anticollenses* (cfr. *Certamen Capitolinum III*, 1952, Romae, p. 29); suntque *chocolatillae* pastilli suaviores seu exquisitiores qui singil-latim parantur et veneunt;

CHOCOLATICIA (*merenda*) *chocolatada*

—amici interdum eventum, nuntium, festum «merenda chocolaticia», id est ex chocolatae potionē celebrant; dicamus igitur «chocolaticiam hodie faciemus seu celebrabimus».

CHOCOLATIFICIUM tuum si recipimus, idem significaret quod «officina choco-lataria» aut fortasse etiam quod «(merenda) chocolaticia».

Vocem quam proponis *decimio - onis* haud facile probarem: primum quia aptiorem habemus *decennis* —vel si mavis *decennalis*—, quibus ille significatur qui habet «decem annos», quam tu notionem exprimere latine vis. Ceterum, non «decimio» eruenda videtur vox ex latino thesauro, sed ad extremum *denio*, nam ut ex distributivis orta sunt *uni-o, bini-o, trini-o, terni-o, quaterni-o, quinti-o, seni-o*, ita et *deni-o*, fingenda esset; forsitan quibusdam placeret *decen-nio*: quae tamen vocabula mihi «modo saltem» parum probanda videntur.

Haec erant quae ad te rescriberem, humanissime vir. —Valeas.

Barbastri, die sexto m. febr., anno 1963.

PER ORBEM

Lingua Latina nova fit et hodierna ex Concilio Oecumenico Vaticano II. — Cum ex omnibus terrae partibus Emmi. Cardinales, Episcopi, Sacerdotes, atque peritissimi viri et legati — qui variis loquuntur linguis, Romam, ut Sanctam Synodum celebrarent—, convenissent, necesse fuit in thermopolii, cauponis, tabernis res latine nuntiari circumeentes alliciendi causa. Nonnulla nuntia facili, novo, hujusque aetatis sermone latino, scite a peritis facta, legite et... subridete:

—Si spendifde cenare vultis haec jucundissima cibaria vobis praebere possumus ..

—Si vultis assum vitulinum vel bubalimum edere, a nobis quaerite, peregrinantes.

—Hic parvos polypos jucundissimo succo

Alia sic jucunde nuntiantur:

—...mitulos nautarum consuetudine tostas, ...gallinaceum pullum romano usu tostum...

Quo fit ut lingua latina instrumentum iterum communicationis, iterumque «venustum unitatis vinculum» (PIUS XII) et fraternitatis internationale merito reddatur.

Certamen de Litteris Classicis, alumnis qui cursum praeuniversitarium emetiuntur, a Societate Hispanica Studiis Classicis provehendis proponitur ut humanitas atque antiquitatis romanae et graecae historia —quae quidem hodie saepe praetermittuntur— foveantur et nutrientur.

Haec sunt duo themata de quibus est disserendum: I — «Los caracteres humanos de la Ilada», et II — «El canto II de la Eneida».

Qui victor discesserit, diploma atque duo milia pesetarum praemio accipiet. Certiores praeterea fiant alumni Societatem Hispanicam Studiorum classicorum itineris impendia perlubenter soluturam iis alumnis qui —praemio donati— extra Urbem Matritum domicilium habeant.

Spoletii et Ostiae in urbibus historia atque arte romana et graeca clarissimis, Euripidis fabulae tres quibus index *Medea*, *Electra*, *Iphigenia in Aulide*, a tragedorum graecorum coetu qui «Theatrum Piraeum», appellatur actae sunt. Quae fabulae generi dicendi hodierno aptatae, insignibus vivi-disque verbis expressae, omnibus in re peritis maximo fuit oblectamento. Chori vero canentium tanta vis fuit et motus, tam jucundi soni et carminum concentus, tam numerosus rhythmus, tanta suavitas histrionum et in voce claritas ut vix —uti artis scaenicae periti asserunt— spectaculum videri possit jucundius.

submersos, vel tenellos renes petroselinio coccitos cenare poteris...

—Si es peniticus, petasonem, petasunculum, tomaculum et hillas, lucanicas et farcimina hac in capona ede...

His ludis scaenicis agendis profuit maxime praclarus vir Jacobus Colli et clarissima mima graeca Ἀσπάσια Ηλαθανασσίου, quae ob ejus naturae bona atque ingenii artisque egregias facultates, Electrae animi affectus et concitationes vere mireque expressit.

Vocabulum graecum μέλισσα originem a «Madhulih» trahit. — Libenti animo legentes certiores facimus de lucubratione quam in commentariis qui inscribuntur *«Annali della Facoltà di Lettere e filosofia»*, ab Studiorum Universitate Barili editis, illustrissimus vir Demetrius Marin scienter et eruditè exposuit et enodavit.

Hoc vocabulum —μέλισσα— quae apud scriptores graecos, lyricos præsertim, frequenti est in usu — ab antiquorum Indorum lingua — a verbo «madhulih», — derivari videtur. Quod —juxta cl. virum Marin— constat ex *madhu* (= μέλι: mel) et *lih*— (<* *leigh*) vocibus, eaque vocabulum graecum λείχειν et latinum «*lingere*» commemorant (ex duobus verbis unum tantum efficitur = *meli-ligia*). Ex quo facile deduci potest vox graeca *μέλιχια > μέλισσα, cuius vis haec est: «melis artifex» (= italice *il leccamiel* et hispanice *el chupa miel*).

Exitus Certaminis Capitolini XIII¹ —quod, auspiciis Summo Literarum artiumque apud Italos Curatore et Romanae Urbis Magistro, quotannis in aedibus Capitolinisi ad Romae Natalem diem commemorandum celebratur, in oratione ab ipso Civitatis Romanae Praefecto luculente habita, renuntiatus est.

Petitores qui ex Italia, Gallia, Hispania, Germania, Rumania, Batavia aliisque Europæarum urbium certamen adierunt, numero XXXIII, multa eaque Quiritium majestate digna exararunt. Ad concertantium libellos judicandos et perpendendos quinque sunt electi doctissimi viri qui, libellis perfectis, his praeter ceteros sex excellentiores habuerunt:

- | | |
|---|---|
| <i>— Brevis in lacu Lario mansio.</i>
<i>— De rerum naturae et hominum varietas.</i>
<i>— De Herculanesibus rebus diebusque novissimis.</i> | <i>— Aves.</i>
<i>— Quo vadis, adulescens?</i>
<i>— Quatriiduum montanum.</i> |
|---|---|

Virtutibus collatis ac ponderatis, scidulisque resignatis, hic fuit libellorum praemio donatorum ordo:

Praemio Urbis decoratus est libellus cui index *De Herculanesibus rebus diebusque novissimis* a cl. Professore Nilo CASINI exaratus, qui Lupam Capitulinam et ducenta milia denariorum italicorum ab Urbis Praefecto accepit. Alterius praemii victor evasit illustrissimus Professor Josephus MORABITO (*«Brevis in lacu Lario mansio»*) —latinarum litterarum cultoribus maxime notus — qui sigillo argenteo et centum milibus denariorum italicorum donatus est. Honorifica ornatus est mentione cl. Professor Thebaldus Fabbri

(*Quo vadis, adulescens?*) et Felix Sánchez Vallejo, S. J. (*Quatriduum montanum*), insignis scriptor hispanus.

Quae quidem testimonia significant latinitatis auream venam nunquam haustum iri scriptoresque, qui Ciceronis jucundissimam linguam florescere, reviviscere cupiant, nunquam in orbe defuturos.

Occasione data qua filii Immaculati Cordis B. Virginis sollemniter in possessionem Sanctuarii «Dominae Nostrae a Podio» (*El Pueyo*) venerunt —quod quattuor circiter ab urbe Barbastro distat chilometra, vinetisque amygdalis, oleis circumdatum, in summo montis jugo perlucidum exsurgit— sollemne amicis instructum est prandium, cuius ordo, a R. P. Josepho Mir, C. M. F. latine exaratus typisque in chartulis excusus, hic fuit:

I. Gustatoria: aperitivum: absinthites perna - olvae referatae farciminis laminulae - fricta	opus pistorium: placenta + sua- villa vina: atrum, Machabaeum e pro- prio penu
II. Jus e pingui gallina Asellus seu merlucius cum embammate magonico et malo citreo	cafeum + liquores: coniacum, anisum
Pullus gallinaceus cum vino campanico Bellaria: arienae - mala - pira - uvae	volumina tabacea
	Prost!

Cum post prandium convivae Monasterium inviserent membraque domus lustrarent, hoc in conclavi lemma scriptum conspexerunt quod adulescentium animis penitus infigi oportet: NEANIA, ΦΕΥΓΕ ΑΕΙ ΤΗΝ ΥΒΠΙΝ.

Diem supremum obierunt. — Sero admodum —quod revera nulla nostra culpa factum est— cl. viri Aemilii Orth, Germani, mortem, qui studiis prorsus deditam nunc in Helvetia agebat vitam, maximo affecti dolore, legentibus significamus. Qui vir bone animo, humanitatis plenus, simplex, comis, facetus, —ut boni fuerunt latini scriptores—, procerae staturae sed peracri ingenio ornatus, litteris classicis abditus ($\varphi\lambda\delta\sigma\sigma\varphi\omega\varsigma \beta\iota\circ\varsigma$ diceres), nobis studii, animi firmitatis, diligentiae in labore effigiem... expressam et politam reliquit.

De Lucretio multa eaque difficultima erudite, subtiliter et pervestigavit et exposuit. multa virorum doctissimorum acceptione et plausu in commentariis *Helmantica*, PALAESTRA LATINA, Gymnasio aliisque conscripsit multaque cl. vir Orth invenit nova.

—Illustrissimi Professoris Aloisii Guercio lugendam mortem nuntiamus qui die nono mensis Novembris superioris anni obiit; illeque sacerdotalem dignitatem eruditione et doctrina cumulavit totoque animo in litteras latinas incubuit; haud pauca in Commentariis de litteris classicis conscripsit, quae nunc in lucem iterum edentur.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

BIBLIOGRAPHIA

TER VRUGT-LENTZ, JOHANNA. — *Mors immatura.* Proefschrift ter Verkrijging van de Graad van Doctor. J. B. Wolters/Groningen (Nederland). pag. 84, 221/2 x 13¹/2.

En tibi eruditam lucubrationem ad Lauream obtinendam, a Magistra L. Ter Wrugt-Lentz exarata, duce cl. Professore Dr. J. H. Waszink, atque toto Magistrorum plausu probata et confirmata.

Praemittitur brevissima introductio, quam sequuntur: I. Conspectus praematurae atque non suae (=innaturalis) mortis, in plenis orientis (pp. 2-5). II-V. Graecia: Homerus et periodus posthomericus, usque ad quintum ante Christum saeculum; Orpheus et Pythagorae mens de morte et de vita futura: quintum et quartum saeculum ante Christum; mens populi graeci de morte in periodo hellenistica et romana (pp. 6-51).

VI-VII. Roma: Romanorum mens de vita futura: pristina periodus romana, hellenistica periodus romana; imperii romani periodus (pp. 52-78). Liber vero quasi stemmate absolvitur summario una cum bibliographia et indice. Hoc opusculum lingua anglica scriptum est; summarium autem lingua neerlandica itemque «addenda».

JUAN XXIII. — *Anuario PETRUS, la voz del Papa;* año 1959, 1, y año 1961, 5. Editorial Vilamala, Barcelona — 7.

Libentes duo haec volumina accepimus, ab officina libraria Vilamala in lucem edita. Profecto mens Petri, eadem atque mens Christi. Atque hujus modi libri «Anuario Petrus» est ubivis vocem Summi Pontificis diffundere, quo et Christi mentem facilius calere possimus.

Duodecim volumina adhuc edita sunt, Summi Pontificis, f. r., PII XII, doctrinam exprimentia. Tria vero volumina exstant, quae praecipua documenta Summi Pontificis Joannis XXIII commode exhibent.

Duobus his voluminibus parandis, sedulam adhibuit curam Ilmus. Dr. Vincentius Nolla, Canonicus S. I. C. M. et P. Tarragonensis. Eadem etenim adscribenda introduc-tio, collectio, distributio, indices. Pensum magnae quidem sollertiae magnique christiano populo momenti sibi proposuerunt hujus «Annuarii» scriptores quibus et plurimes reddere gratias plaususque debemus.

PLATÓ, DIALEGS, VII, FEDÓ. — Text i traduc-ció de Jaume Olives Canals, Doctor en Lle-tres. Barcelona, Fundació Bernat Metge, 1952.

Novo hoc volumine exornatur nobilis illa societas catalaunica, quae inscribitur «Fundació Bernat Metge». Et latini et greci scriptores aetatis classicae, ea duce, ubique terrarum nota perennitatis quasi inuruntur, multos abhinc annos.

Volumen autem hoc centesimum quadra-gesimum quartum in nota illa Bibliotheca. Maxima cura eaque, qua pollet, sollertia Platonis Phaedonem in catalaunicam linguam convertit clarissimus vir Jacobus Olives Ca-nals, in Balmesiano Instituto Barcinonensi Professor.

In meditata praefatione (pp. 9-53), rem ad unguem exagitat, recentissima arte critica imbutus. Ibi personae loca, tempora «Dialogi», explicantur, atque platonici operis conspectus delibatur: de «structura», de methodo, de ar-gumento, de mytho, de historiae adjunctis, de auctoritate deque tempore quo liber scrip-tus est.

Graecus textus, ut in aliis voluminibus, a praeclaro magistro idem adhibetur ac criticus J. Burnet (Oxford 1905²), paucis emenda-tis. Commodus adest apparatus criticus. Per-spicua translatio dictioque nitida. Ita memo-riae, quae nobis cordi est, litterarum graeca-rum perspicuitas proditur!

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

ROCA MELIA, DR. D. ISMAEL, PBRO. — *La Asunción de María en Demetrio Crisoloras.* Pontificia Universidad Eclesiástica. Salamanca. 1961. pag. 166, 18 x 21.

Quasi summam hujus lucubrationis ad Lauream dicas, transcriptionem criticam primamque hispanicam conversionem esse homiliae graecae Demetrii Chrysolorae de Dormitione Btae. Mariae Virginis. Idoneos de re commentarios historicos, philologicos, theologicos curiosus lector ibi reperiet, quibus mentem Demetrii Chrysolorae Thessalonicensis aestimet ponderetque.

Proponitur libri dicatio, prooemium, bibliographica introductio (pp. 5-14); deinde tres «partes» tota res distribuitur. I. De auctore Homiliae: notitia biographica, scriptoris indoles, opera authentica dubiaque, tempus Demetrii Chrysolorae (pp. 15-48). II. Textus Homiliae Mariologicae: de manu scripto, de transcriptione critica, de conversione hispanica (pp. 49-112). III. Commentarii de Homilia Mariana: Demetrius Chrysoloras, ut humanius litterarum cultor; Mysterium Assumptionis in scriptoribus Byzantinis (pp. 113-157).

Magnae laudis honore opus dignum aestimatum est a Professoribus in examine ad Lauream obtinendam. Quod quidem magno opere studium sollertiaque Doctoris Melia, in thesi elaboranda, monstrat.

PIAZZINO, CARLO. — *Regina Viarum. Sintassi Latina per le Scuole Medie Superiori* G. B. Paravia et C. Torino, 1961. pag IV/644, 21'5 x 16.

Amplus hic latinae linguae cursus Syntaxis quasi fructus,isque maturus, est multorum annorum docendi muneris et lectionis scriptorum classicorum. Qui e re nata Scholae Mediae a clarissimo Professore C. Piazzino dicitur. Perspicuitas ibi et facilitas, «scientifica» fide haud omissa, ab initio ducuntur.

Merito opus totum in duas partes dividitur: I. Casuum syntaxis (pp. 1-224). II. Verbi syntaxis (pp. 225-622). Cursus vero tenor commode distinctus: Concordantia, nominativus, accusativus, genetivus, dativus, abla-

tivus, loci et temporis complementa, syntaxeos singulares proprietates, summarium totius casuum syntaxis, in prima parte; in altera autem, forma et significatio verborum, temporum usus in indicativo, usus modorum in propositionibus principalibus vel independentibus, formae verbī nominales (infinitivum, participium, gerundium, gerundivum, supinum), coordinatio et subordinatio, propositiones dependentes vel subordinatae, oratio indirecta. Summarium totius syntaxis latinae.

Regulae seu normae grammaticae breves, nitidae, pressae, exempla vero abundantia, selecta, gradatim procedentia, jucunda. Antiqua quidem latina syntaxis declaratur explicaturque, ratione vero nova, scientifica, artis paedagogicae regulis aptissime accommodata. Lectoribus nostris hunc Syntaxis Latinae cursum magno opere commendatum volumus et optamus.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

MAIURI, AMEDEO. — *Lettere di Tiberio da Capri* Fausto Florentine Editore. Napoli. pag. 142, 22 x 14.

Triginta epistulis absolvitur hic elegans jucundusque liber, a clarissimo scriptore A. Maiuri exaratus. Haud sale dicendi caret epistularum harum Tiberianarum confector. Hinc inde conserit quae biographi, cum malevoletum benevole, de Tiberio Imperatore tradidere; neque monumentorum palaeographiae neque naturae insulae Caprearum immemor est scriptor, eaeque lepidae epistulae. Ad Antoniam, Ad Pontium Pilatum Judaeae Procuratorem, Ad Vellejum Paternulum, Ad Curtium Atticum, Ad Senatum, Ad Luclum Aelium Sejanum praetorii Praefectum, Ad Coccejum Nervam, Ad Procuratorem civitatis Caprearum... fluenti quidem dicendi genere effluntur.

Liber legenti gratus, qui facile conjungit hodiernam cum pristina Romanorum mente, praesertim vero in illis, quae referuntur ad Tiberium Imperatorem et ad insulam Capreensem illi in primis caram atque tantis ejusdem monumentis adhuc ornatam.

A. MARQUÉS, C. M. F.

Rosset, Charles. — *Mots latins usuels*. Editions de l'Ecole, 11 rue de Sèvres, Paris - 6^e 1962. pag. VI / 200, 21 x 15.

In provincia latinarum litterarum clarus Professor C. Rosset notior est quam ut de eo lectoribus PALAESTRAE LATINAe verba faciamus. Totum fere latinitatis curriculum ab eo, variis utilibusque libris, apertum expeditum que alumnis proponitur. Quasi natura ipsa duce, clarissimus vir C. Rosset latini litteris tradendis docendisque incubuit totus.

Novum hoc opusculum, ut ex inscriptione intellegitur, dictionario latino discendo alumnis praebetur. Verba usitatoria ibi colliguntur, ita vero arte typographicā disponuntur, ut quasi oculis aucupentur inque mente faciliter modis ordinentur. In brevi appendice, non nulla de praefixis et suffixis de homonymis paronymisque referuntur.

A MARQUÉS, C. M. F.

Valgiglio, Ernesto. — *L'esodo delle «Fenicie» di Euripide*. Università di Torino, Pubblicazioni della Facoltà di Lettere e Filosofia. G. Giappichelli Editore, Torino, pag. 148, 24 x 17.

En commentatio critica et monographica de exitu, valde apud sapientes agitato, tragediae euripiadeae «Phoeniciae». Scite clarissimus Professor Valdiglio disserit de sensu tragœdiae intimo, de subtili contextus filo, de argumenti proposito, quo facilius ad quaestione solutionem, de authentico carminis fine, pervenire possit.

In proemii quaestione de unitate «Phoeniciae» agitur (pp. 3-32). Tum de Antigone: Indoles et cohaerentia (pp. 33-41). Ad hoc de sepultura Polynicis deque exilio Oedipi (pp. 42-117). Quae quidem res, cum extra tragediae exitum, tum ipso in exitu penitus trutinae subicitur. Sub libri fine (pp. 118-141), quasi ob oculos lectoris res obicitur tota, quo commodius argumentationis vim callere possit. Praecipuarum rerum atque auctorum indici priores lucubrationes paginae dicantur (pp. 142-148). Liber in primis magistris utilis, qui ὅποδεσιν (hypothesim) jam ab initio exagitatam apud interpres operum clarissi-

mi poëtae Euripiidis hodierna quidem explicazione deliberare possint.

Bruno, Giuseppe. — *Bucoliche e Georgiche antologica*. Ristampa. F.lli Montemurro Editori. Matera, Italia. pag. XX / 136, 21 x 14'5.

Paucis locis exceptis, de quibus in infima pagina, textus latinus idem est atque nobilium vv. L. Castiglioni - R. Sabbadini (*P. Vergili Maronis Bucolica Georgica, Aug. Taurinorum*, 1945). Bucolica I, IV, VII, IX, X alteram libri partem constituunt, quibus selectae grammaticae, artis metricae, historiae, mythologiae, rhetorices notulae adjunguntur (pp. 5-72).

Altera vera in parte loci praecipui Georgicon seliguntur explicandi. I. 1-5; 118-159; 259-275; 311-334; 338-350. II. 1-8; 136-176; 323-345; 458-540. III. 219-241; 478-566. IV. 1-7; 67-87; 125-148; 453-527 (pp. 73-134).

Manualis liber alumnis latinarum litterarum magno opere utilis, quippe qui a nobili magistro, summa artis paedagogicae industria comparatus exaratusque sit. Et Bucolicon et Georgicon argumenta pressius in praefatione (pp. V-XIX) explicantur, quo studiose rei intelligentia facilior fit. Quam in natura artem poetamicam Vergillus quasi libarat, hic latinitatis cultor admirari poterit.

A MARQUÉS, C. M. F.

Tibull und sein kreis. Lateinisch und deutsch, ed. Wilhelm WILLIGE. Tusculum-Buecherei. Ernst Heimeran, Muenchen.

Albius Tibullus fuit poëta tersus, elegans, argutus, qui magnam semper simplicitatem, perspicuitatem, elegantiam suis in carminibus est prosecutus. Ejus autem immaturam mortem hoc carmine funebri deflevit Ovidius:

•Memnona si mater, mater ploravit Achillem
Et tangunt magnas tristia fate deas,
Flebilis indignos, Elegeia, solve capillos.
A! nimis ex vero nunc tibi nomen erit.
Ille tul vates operis, tua fama, Tibullus
Ardet in extuncto, corpus inane, rogo.
(Am. III, 9, 1-6)

A. Tibulli quattuor carminum libri in hoc volumine a claro latinitatis magistro G.

Willige exarato, denuo eduntur una cum germanica versione (pp. 5-141). Appendix vero (pp. 142-160) sedulo parata, de re est quasi dissertatione, quae vatem latinum ejusque poetam mentem nobis notorem reapere facit Poetas Alexandrinos secutus, eorum nimiam antiquarum fabularum eruditionem et fucatum nitorem verborumque ornamenta accurate devitavit Tibullus, qui in praeclaris elegiacis romanis numeratur, estque Catullo parum animi sensus significat, Horatio vero cum sermonis elegantiam et concinnitatem exquirit.

Non nulla ab auctore scite explicantur de textus historia, de versionibus, de societate apud quam A. Tibullus vitam egit. Index tandem praecipuorum nominum, cum brevisima historia, maxime commendandus.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

Seneca. Apocolocyntosis: Die Verkuerbung des kaisers Claudius. Lateinisch-Deutsch uebersetzt und herausgegeben von W. SCHOENE. Ernst Heimeran Verlag, Muenchen.

Quam plurima vulgavit opera L. A. Seneca, inter Stoicorum philosophiae cultores longe eminens, quorum quidem magnam partem edacitas temporum exedit. Hoc autem in libello editur textus et germanica versio saturae nobilis illius latini scriptoris. Satura nempe Menippea in morte Claudi imperatoris, Apocolocyntosis — in cucurbitam mutationem — vel, ut habetur in codicibus «Divi Claudi Apotheosis per saturam, soluta et poetica oratione contexta».

Ibi autem in ridiculum contorquet consecrationem, quam post mortem senatus Claudio imperatori decreverat. Ea satura dicacitateisque salibus gaudet, ut facile a curioso lectore comprobetur.

Clarus vero latinitatis magister G. Schoene lepide et erudite de ea agit. Post saturae interpretationem germanicam, non nulla disserit de Seneca ejusdemque opere, quod utilibus distinguit explicationibus atque latini textus naturam ob oculos lectoris penit. Rei vero bibliographia ad nostros usque dies producta ab ipso doctore G. Schoene est.

Publius Ovidius Naso. Metamorphosen. In deutsche Hexameter uebertragen u.d mit dem Text herausgegeben von Rich ROESCH. Ernst Heimeran Verlag, Muenchen 1961.

Sic quintus et decimus liber Metamorphoseon Ovidii finit: «Jamque opus exegi, quod nec Jovis ira nec ignis / nec poterit ferrum nec edax abolere vetustas» (XV, 871-872). Haec vero editio a clarissimo Professore R. Roesch sedulo parata, quasi stare dicas illi incliti poetae P. O. Nasonis effato.

Ac profecto, monumentum hoc Romanorum, redditum lepidis hexametris germanicis, — accurato latino textu —, denuo in huminiorum litterarum provincia editur, idque altera castigatione editione. Jam vero conversioni, quae fere isdem versibus atque opus autographum, 12.000 hexametris concluditur, haec adjunguntur argumenta: de poeta deque poesi (pp. 601-606); de rei bibliographia (pp. 607-616); in singulos libros annotationes (pp. 617-657).

Tum vero agit auctor de ea, quam diceres exstructione Metamorphoseon; et ordo et relatio singulorum carminum inter se magno ingenio ostenditur (pp. 681-768). Omnes procul dubio poeseos Ovidianae cultores fautoresque novum in hac «Tusculi Bibliotheca» opus magnopere juvabit.

PHILOPONUS, C. M. F.

Publius Ovidius Naso. Liebes - Gedichte. — Amores. Lateinisch und deutsch von Walter MARG und Richard HARDER. Ernst Heimeran, Muenchen 1962.

Altera haec operis editio, atque ea emendatior multisque annotationibus locupletata, a clarissimis latinitatis magistris W. Marg et R. Harder. Liber hic carminum a P. Ovidio florente juventa est exaratus cui illud notum epigramma praefixit:

«Qui modo Nasonis fueramus quinque libelli,
Tres sumus; hoc illi praetulit auctor opus;
Ut jam nulla tibi nos sit legisse voluptas,
At levior demptis poena duobus erit».

At utinam severior fuisset in multis inutilibus pravisque versibus delendis qui facile legentium animos offendunt aut corrumpere possunt...

Tribus libris *Amores* nunc constant, quibus poëta narrat suos amores in quandam mulierem, quam dicto nomine Corinnam appellat.

Hoc vero in volumine bibliothecae «Tusculum Buecheret», latinus criticus textus prostat, cui et germanica conversio scite ad jungitur (pp. 6159). In operis appendice copiose agitur de poëta ejusque poësi, (pp. 160-174); de textu bibliographia, mythologia in singulos libros (pp. 177-237). Re quidem vera altera hac operis editione superior perficitur atque augetur.

A. MARQUÉS, C. M. F.

Aischylos. — Tragoedien und Fragmente. Herausgegeben und uebersetzt von Oskar Werner. Erns Helmertan Verlag, in Muenchen.

Hac editione continentur — ad hodiernam philologiae fidem exacta — tragœdiae, poëmatata dramatica, fragmenta Aeschylī, quae adhuc extant. Pristina quoque documenta testimoniave adjunguntur de vita arque opere Poëtae, una cum notis et explicationibus scriptorum illius temporis.

Interpretatio germanica, a praeclaro Professore O. Werner exarata, ad mentem et artem tragicæ scriptoris plane capiendam vivamque, uti dicitur, legentibus reddendam, plurimum confert.

Quinque sunt partes voluminis: I Tragœdiae cum suis fragmentis (pp. 5557). II. Fragmenta poëmatum dramaticorum et elegiarum (pp. 559-674). III. Pristina monumenta (pp. 675-686). IV. Appendix (pp. 687-717). Fuse et eruditæ hic de tragœdiarum notione, de exstructura textus ejusque forma. V. Notæ et explicationes (pp. 717-762). Praecipua afferruntur de vita et opere Aeschylī, de tragœdiarum argomento de fragmentis, de litteraria forma naturave. Quae omnia brevissimo auctoris epilogo complentur.

PHILOPONUS, C. M. F.

MENANDER: DYSCOLOS. — Critical edition by Jean BINGEN, Professor in the University of Brussels. Leiden, E. J. Brill. pag XVI-52, 19 x 13.

Hoc volumen n.º XXVI est in perutile litterarum studiosis Bibliotheca quae «Textus Minores» inscribitur, quaeque editore E. J. Brill pulchre paratur atque vulgatur. Il vero «Textus Minores» in usum academicum eduntur, curantibus cl. viri R. Hooykaas, N. W. Posthumus, J. H. Waszink, W. C. Vanunnik, quibus actuarius adfuit B. A. van Proostdij

Jam vero egregius vir J. Bingen, in Bruxellensi Universitate Professor, hanc editionem criticam comoediae Dyscolos exaravit. In libri «Introductione» (pp. V-XI) propositum auctoris in comoedia Dyscolos alumnis explicanda facile dignoscitur. Singuli comoediae actus enucleantur; breviter de conscriptionis tempore, de metrica arte, de traditione comoediae disseruntur.

Praemittitur bibliographia (pp. XII-XVI). Tum graecus textus, cum apparatu critico exprimitur atque eo nitide distinque expresso. Litterarum graecarum cultor nullo fere negotio Menandrianam mentem in comoedia Dyscolos hac duce editione, comprehendet argumentique acumen callebit.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

POLYBIOS, GESCHICHTE. — Gesamtausgabe in zwei Baenden, erster Band. Eingeleitet und uebertragen von Hans DREXLER. Artemis Verlag, Zuerich und Stuttgart.

Duo volumina historiarum Polybius edenda parantur, quorum hoc primum; merito in «Die Bibliothek der alten Welt» antiquitatis cultoribus exhibetur Polybius Megalopolis, in Arcadia, circa annum 200 a. Christum natus. Graeci subactis gentibus, in Italiam captivus ductus est ibique consuetudine Scipionis Junioris usus. Quem, libertate donatus, consecutus est in magnis romani ducis proelitis. Cum eo Carthagine fuit atque in scido Corinthii et in bello contra Numantiam. Hac quidem ratione penitus cognoscere potuit res gestas populi romani. Ex quo Bellum Numantinum, Biographiae, de re militari, de incolis aequatorialis zonae... conscribere potuit praeter alia scripta quae perierunt.

Haec vero Polybius editio amplectitur quinque integros libros ad nos usque transmissos,

una cum reliquis aliorum quinque et triginta. Ad librum decimum pervenit primum hoc volumen. Alteri praeredit introductio in vitam et opus Polybi cum geographicā charta atque ampliore nominum rerumque indice. Et typographica voluminis forma pulcherrima placide lectorem invitat ad historiam pristinorum populorum, graeci et romani, attento animo percipiendam.

A. MARQUÉS, C. M. F.

Roemisches Privatrecht, lateinisch und deutsch.

Ausgewählt, uebertragen, erklaert und eingeleitet von Erwin SCHARR. In aedibus Artemidos. Artemis Verlag, Zuerich und Stuttgart. pag. 1.400, 17 1/2 x 11 1/2.

Volumen hoc «De Romanorum jure» editatur in nobili illo corpore germanico, cui inscriptio: «Die Bibliothek der Alten Welt», quae bibliotheca a praeclarissimo Doctore Carolo Hoenn condita est et ab eruditissimo Professore Walterio Rüegg adhuc editur.

Quae vero hoc volumine continentur, ea delegit, convertit, annotavit, praefatus est Ervinus Scharr de jure bene meritus. De ordine et libri proposito non nulla clarus auctor in prooemio disserit (pp. 5-11). Prima operis pars est de fontibus Juris Romani, de iuridica Romanorum scientia, de ejus modi disciplinae significatione ad progressum Juris apud Europaeas nationes (pp. 13-157).

In altera autem parte selectio exstat ex fontibus (pp. 159-1.346). Appendix denique accuratissima librum commodissimum reddit: index fontium (pp. 1.347-1.361); scriptorum rerumque (pp. 1.362-1.391); totius libri conspectus (pp. 1.393-1.400).

Maxima quidem auctori laus, quod summa cura sollertiaque, cum Juris nobilitores Personas, tum ipsius Juris Normas, in universa earumdem historica evolutione persecutus est. Perutilis igitur liber Historicis, antiquitatis Philologis, Juris peritis: qui ibi quasi perennem artis scientiaeque juris fontem hauriendum reperiant.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

Pline l'Ancien, Histoire Naturelle, livre X. Société d'Édition «Les Belles Lettres», 95, Boulevard Raspail, Paris 1961, pag. 254, 20 x 13.

Haec editio libri X Naturalis Historiae Plinianae a clarissimo viro E. de Saint Denis, in facultate litterarum Divionensi Professore, parata est; qui quidem latinum textum constituit, in linguam gallicam scite convertit, luculentis notis et explicationibus ornavit.

Prostat ampla introductio (pp. 6-18); deinde rerum synthesis, ad instar totius libri X index (pp. 19-24); postea textus latinus una cum translatione gallica (pp. 25-101 — bis —). Plus quinquaginta commentariorum pagellae consequuntur (pp. 103-161). Indice denique nominum rerumque totum finitur opus. (163-172).

In textu constituendo claro auctori optulatus est nobilissimus philologus M. A. Ernout. Maximi sane ingenii studiisque opus enodare nobilissimum Historiae Naturae documentum Plinianum, de quo nota illa Plini Junioris sententia: «Opus diffusum, eruditum, nec minus varium quam ipsa natura» (Epist. III, 5, 6). Curiosus vero lector perfacile ipse auctoris laudem in re comprobabit: quam laudem et consociatio Guillaume Budé merito sancivit.

A. MARQUÉS, C. M. F.

SPITZER, LEO. — *Stilstudien: Erster Teil — Sprachstile (pp. XIV-296). Zweiter Teil — Stilsprachen (pp. 592), unveränderte Auflage.* Max Hueber Verlag, Muenchen, 2, 1961.

Denuo in lucem eduntur haec duo solida volumina «Stilisticae artis» enucleandae gratia. «Stili studia» praeclarus Professor L. Spitzer nuncupat opus, cui quidem comparando ab anno 1918 maxima cura sollertiaque laborem molitus est. Ex quo reconditus hic thesaurus, studioso maxime aestimandus de sermonum disciplina exhibetur.

«Studia» autem haec ad rem spectant ut explicationem logicam aut historicam saltem de syntaxi et stilistica romanica proferant.

Varia ratio et via atque argumentorum explicatio; conclusiones vero solidae semper, eaeque ab scientiae linguarum cultoribus, in re praesertim romanica, comprobatae.

Nullo fere negotio in unum convenientiunt, tot inter se dispares quaestiones, indicum ope. Quos sedulo exaravit clarissima humana-
rum litterarum Magistra D. Guenzburger.
Ii indices sunt auctorum, rerum, vocabulo-
rum. Nulli prorsus linguisticae romanicae
cultori hoc opere non uti licebit. Principibus
linguisticae romanicae, E. R. Curtius, K.
Vossler, O. Walzel, haud immerito dicatum
est Spitzerum opus, quorum et auctoritate
et doctrina quam plurima hic comprobantur.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

PLATONE. — *Apologia di Socrate*. Introduzione
e commento di Giuseppe Cammelli. Editore Luigi Loffredo, Napoli 1962, p. 121.

Haec est hujus Platonis incliti libri — quem
cl. vir Josephus Cammelli commentatus est —
praecipua virtus, quod auctor, selectis de re
scriptis atque operibus usus («mi sono valso...
di quanto di meglio è stato pubblicato sull'ar-
gomento»), optimumque ex variis commentariis,
ut mellifera apis, lingens, fasciculum hunc
notis et interpretationibus tum historicis tum
stilisticis plurimis locupletatum foras vulga-
vit.

Prooemium in primis (p. 7-36) praemittitur quo eruditè de insimulatione («γραφή»), de accusatoribus («συνήγοροι»), de causis sive religiosis («ἀσέβεια» et «δαιμόνιον τι») sive po-
liticis, deque Socratis actione («ἀνάπτωσις»)
quaestiones exponuntur et evolvuntur.

Textus sequitur graecus (p. 39-121), emen-
datissime revera impressus, commentariis
que ornatissimus quibus Platonis verborum
sensus lector penitus assequitur.

Variae sunt lectiones ex chirographis de-
sumptae, varisque etiam codices («Bodleianus
39», «Martianus 41», Viennensis 54»), quos
Josephus Cammelli et consuluit et adhibuit.
Apparatus criticus, quamvis sit brevis, cum
liber scholis destinetur, sufficere videtur.

Naevulum in conversione animadvertis:
verbum enim ὑπολαβάνειν («Ἅπολαβοι», 20 c)

—quod «suspicionem mouere, suspicari» signifi-
care solet — sensu tantum auctor expressit,
cum in italicum sermonem «interrompere»
(«alicui obloqui») transtulit. Res vero mini-
mi est momenti.

JESUS ARAMENDSA, C. M. F.

NAVARRO, TOMÁS. — *Manual de pronunciación
Española*, 10^a edición, Consejo Superior
de Investigaciones Científicas Publica-
ciones de la Revista de Filología Españo-
la, Madrid 1961.

In hoc volumine, decimum jam edito,
commentario vero PHILOLOGIAE HISPA-
NICAЕ duce, praecipuae colliguntur normae
usus apud nostrates communis, in lingua
hispanica pronuntianda, quibus dialecticae
mutationes adduntur quae in paeninsulae
Ibericae regionibus exstant.

Notissimus hac de re est vir Th. Navarro
Tomás, in exterris Universitatibus linguae
hispanicae Professor insignis. «Studia phon-
etica» forsitan apud nostrates, nondum eo
altiore loco et aestimatione, ut res postulat,
versantur in tradenda docendaque lingua
hispanica. Utinam hoc maximi ponderis ope-
re magis magisque haec linguistica disciplina
foveatur.

Hac vero ratione procedit opus: *Introduc-
ción* (pp. 5-12). *Noiciones de fonética general* (pp.
13-34). *Pronunciación de las vocales* (pp. 35-76).
Pronunciación de las consonantes (pp. 77-146).
Los sonidos agrupados (pp. 147-180). *Intensidad*
(pp. 181-196). *Cantidad* (pp. 197-208). *Entona-
ción* (pp. 209-236). *Ejercicios de articulación* (pp.
237-254). *Ejercicios de entonación* (pp. 255-274).
Textos fonéticos (pp. 275-306).

Maximi momenti, ad usum libri sunt re-
rum index (pp. 307-318) et index generalis
(pp. 319-326). Et appositis delineationibus
argumentum nitidius redditur. «Alphabetum
phoneticum», in libro adhibitum concordat
cum eo, quod in ephemerede «Revista de Filo-
logía Española», II, 1915, pp. 374-376, con-
stitutum ac vulgatum est.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.



SCHOLARES LINGUAE LATINAEC COMMENTARII

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Premium ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Ap. 1042 - BARCELONA - 10

Constat in Hispania et America Hispanica: 25 pesetas; in Gallia: 3'50 francis; in Italia: 350 libellis; in Germania
2'5 markis; in reliquis civitatibus: 0'80 dollaris.

ANN. IX — (FASC. I) — N. 33

M. MARTIO

A. MCMLXIII

SCITISNE QUID ATOMI SINT?

Atomus definiri potest minima corporis simplicis pars chemicis rationibus inseparabilis. Id est, si pars una oxygenii duabus hydrogenii partibus permiscetur, aquae particula (H_2O) generatur.

Thomson —rerum physicarum peritissimus— primus, atomorum doctrinam, anno 1910, proposuit acerrimeque defendit. Atomos censebat esse minimam materiae sphaeram, particulis vi electrica positiva imbutis plenam in quibus «electrones» inveniebantur.

Illustris vir Rutherford scientifica et hodierna ratione rem tractavit et exposuit. Atomi constant ex nucleo —in quo «protones» inveniuntur— et ex «cortice» quam «electrones» circumeunt. Ad hoc asseruit in nucleo tot particulos esse quot dimidium atomi ponderis.

Britannus tandem Moseley nomine, penetrabilibus radiis qui nunc vocantur X (nuclei revera sunt hydrogenii), particularum numerum positivarum quae in unoquoque sunt elemento invenit.

Luce radiorum imaginibus expressis, cum aliquot lineae fieri animadverteret, de diversis particularum electricarum statibus agi collegit.

Nostris temporibus «neutrones» viri docti invenerunt quibus nucleis findendis atomicis et pyrobelis atomicis (*bomba atómica*) efficiendis maxime utuntur.

JULIUS A. MARQUÉS

e VIº latinitatis classe

Barbastri.

C A E C U S

Piceis tenebris subito factis, stelit
puer nesciens quo iret. Putans enim vim
electricam casu defuisse, ejus redditum
exspectabat.

A matre summo mane e somno ex-
citatus est: «Surge, mi Joannes, inquit,
vicina nostra graviter aegrotat mox for-
tasse moritura. Ad Sanctum Jacobum
ergo vade et statim ut dominus paro-
chus Missam compleverit, illum addu-
cas».

Sic puerum in urbis viis hac hora
desertis invenimus, qui (ut solent parvu-
li) solus in nocte pavebat.

Ideo quemdam eadem via ambulan-
tem et ad se venientem audiens primo
gavisus est. Mox autem angori gaudium
cedit: Non enim —apud se cogitabat
puer— ille ambulare potest quin videat;
lux est ergo, dum nihil prorsus aspicio...
Me miserum! Ecce ego caecus factus
sum! Et se validis dedit gemitibus; quos
cum homo appropinquans audisset:

—Quis est tu, mi puer? interrogat.
Quid ploras?

Quidnam hic, hac hora matutina
solus facis?

Ut potuit, respondit Joannes; sed
ejus verba singultibus interrupta vix au-
divit alter qui solummodo intellexit pue-
rum ecclesiam Sancti Jacobi petere.

—Bene tibi, fili mi, nam et ego illuc
ibam. Noli flere; simul ambulabimus; tu-
to te ducam. Quo dicto manum pueri
quasi paterno affectu arripuit; ille vero
sic sibi caeco ductum praeberti putavit.

—O vir bone, inquit illacrimans,
maximas tibi gratias ago.

Postquam autem aliquandiu ambu-
laverunt:

—Multumne ecclesia adhuc distat?

—Non multum, amice; post viginti
circiter passus, ad dexteram deflectemus
et statim videbis. Quo verbo auditio no-
vam lacrimarum effusionem refinere
Joannes non potuit.

—Heu! minime video —secum co-
gitat— nec ecclesiam, nec in ea dilec-
tam Virginis effigiem.

Ibi praeterito anno primae Commu-
nionis die, quam libenti animo me sa-
cerdotem futurum promisi! Et nunc cae-
cus repellor!...

Dum autem talia cogitat, ambo pro-
cedunt. Et subito puer exsultat: in mediis
plateae ac vicorum tenebris, ciquid as-
picit: lateralem ecclesiae fenestram, te-
nuissima internae lampadis claritate lu-
cidam. Caecus ergo non erat.

—Ecce video, inquit comiti suo.
Quantas tibi debeo gratias qui me tan-
ta benignitate huc me duxisti ubi mea
evanesceret anxietas... Sed, dic mihi,
quomodo sub tam atra obscuritate ettu
ipse ambulare et meipsum ducere po-
tuisti?

—Obscuritate?...

—Quid? Non vidisti? ...an potius,
vidisti? ...valde mirum! Quisnam es tu?

—Ego sum, fili, ille caecus qui ad
hujus ecclesiae fores sedeo cotidie men-
dicans.

—Quis crederet?

—Audi, mi dilekte puer. Cum et ego
puer essem, jam patre orbatus, matri
egenti et insanabili morbo laboranti

opem ferre debebam. Ut nobis victimum compararem quaedam vicinis servitia praestabam; sic verbi gratia ipsis necessaria a mercatoribus emebam, ubi Missam in hac ecclesia audieram.

Jam tum quadam visus debilitate afficiebar quae annorum decursu auit.

Matre mortua, a cotidiano itinere non cessavi, at in dies minus videbam.

Tempus venit cum baculo mihi opus fuit quo transversorum vicorum marginem tentarem ne caderem. Sic paulatim viam quasi tactu cognoscere didici quam aliquando non amplius visurus eram. Hoc enim me non celaverat medicus, parochi amicus, ab eo de me interrogatus. Jam vero vicesimum circiter annum oculis prorsus exstinctis, mendicare cogor.

—Nonne in nosocomio recipi potuisses?

—Domino parocho benigne propONENTI non acquievi.



—O vir optime, quam miserabilem ducis vitam! Non nihil conjicio quem putata quadrantis horae caecitas tam animo depresso modo fecit.

—Erras, fili mi, erras: Non felix est qui nihil patitur sed qui sua sorte contentus, patienti et aequo animo patitur: Hoc scire et hoc experiri magna est a Deo gratia. Et ideo caecitatem meam maximam duco gratiam. Etenim, nemo, ut puto, multa clariore percipit lumine quam ille qui externa privatur luce.

Ita locutus est homo, puero mirante. Hicque cum subito, electrico fluento restituto, publicae lampades plateam rursus illuminarent, animadvertisit se jam tenebras dilexisse.

GREGORIUS JOSEPH, O. S. B.

E Gallia.

Fridericus tertius imperatori (a. 1438 - 1493), sciscitantibus amicis quid homini optimum existimaret et utilissimum et proinde studiosissime adipiscendum, respondit: «Beatus ex hac vita decessus! Vox imperatore vere digna!

N. MANGEOT



—Quid filio tuo accidit? Ad pugilatum fortasse se accingit?

—Nequaquam; sed hujusmodi digitabulis utitur ne digitos — pessima est enim consuetudin — in nasum immittat.

ROMANORUM AD FURCULAS



1. Et in castris romanis, cum frustra multi conatus ad erumpendum facti essent et jam omnium rerum inopia esset, victi necessitate legatos mittunt, qui primum pacem aequam peterent; si pacem non impetrarent, ut provocarent ad pugnam.

2. Tum Pontius respondit se, quoniam ne victi quidem ac capti fortunam fateri scirent, inermes cum singulis vestimentis sub jugum missurum; si agro Samnitium decederetur et coloniae abducerentur, Romanum et Samnitem aequo foedere victurum. His tantum conditionibus paratum se esse foedus cum consulibus ferire.

3. Haec cum legatio renuntiaretur, tantus gemitus omnium subito exortus est tantaque maestitia incessit ut non gravius accepturi viderentur, si nuntiaretur omnibus eo loco mortem optendum esse. Cum diu silentium fuisse nec consules pro foedare tam turpi aut contra foedus tam necessarium sententiam ferre auderent...

4. tum L. Lentulus, qui princeps legatorum virtute atque honoribus erat: «Evidem, inquit, mortem pro patria praeclaram esse fateor; sed hic patriam video, hic omnes spes opesque sunt: quas servando patriam servamus, dedendo ad necem patriam deserimus ac prodimus. At foeda atque ignominiosa deditio est. Sed ea caritas patriae est ut tam ignominia quam morte nostra, si opus sit, servemus».

CAUDINAS CLADES (II)

5. Consules profecti ad Pontium in colloquium, cum de foedere victor agitaret, negarunt injussu populi foedus fieri. Itaque non foedere pax Caudina sed per sponzionem facta est. Et propter necessariam foederis dilationem obsides etiam sescenti equites imperati sunt. Redintegravit luctum in castris consulum adventus.

6. Hora fatalis ignominiae advenit. Jam primum cum singulis vestimentis inermes extra vallum exire jussi et primi traditi obsides atque in custodiam abducti sunt. Primi consules prope seminudi sub jugum missi, tum, ut quisque gradu proximus erat, ita ignominiae objectus, tum deinceps singulae legiones.

7. Circumstabant armati hostes, exprobantes eludentesque. Ita traducti sunt sub jugum et quod gravius erat ante hostium oculos. Cum ex saltu evassissent, etsi velut ab inferis extracti tum primum lucem aspicere visi sunt, tamen ipsa lux ita deforme agmen intentibus omni morte tristior fuit.

8. Itaque, cum ante noctem Capuam pervenire possent, incerti de fide sociorum et quod pudor praepediebat, circa viam haud procul Capua omnium egena corpora humi prostraverunt.



DE AMICITIA

Amicitia mihi videtur nihil aliud esse nisi omnium rerum divinarum humanarumque consensio, una cum benevolentia et caritate; equidem nescio an a Deo quidquam melius sit datum.

Alii divitias paeponunt, alii valetudinem, alii imperium, alii honores, haud pauci voluptates. Hoc postremum proprium quidem est beluis; quod ad alia, sunt bona prorsus incerta et caduca, quae pendent non tam a nostra industria quam a fortunae temeritate.

Bonum supremum in virtute stabiliendum est; jam vero, amicitia est quae virtutem gigant et continet, cum amicitia sine virtute nullo pacto esse possit.

EDUARDUS SEGURA

Rosarii, in Argentina

IVI c. alumnus

De divina animorum origine

Nulla animorum origo in terris reperiri potest. Quia nihil in animis est aut mixtum aut compositum aut quod videatur luto effictum; nihilque humidum, flabile, igneum.

Quia nihil est in his naturis quod habeat vim memoriae, mentis, cogitationis; quod praeterita contineat et futura provideat et praesentia amplectatur: quae sola divina sunt, nec inveniri poterit unde venerint ad hominem nisi a Deo.

REMIGIUS CHAMELAR

Rosarii, in Argentina

e VII latinitatis cursu

Superiores alumnorum scriptiones propo-
sitae sunt «hispanice» a Professore, et, ut ma-
nifestum est, desumptae sunt ex Cicerone:
De Amicitia, 6 et e *Tusc.*, 1, 27, 66.

TUMULI ELOGIUM

*In quodam Germaniae coe-
meterio —ut ferunt— exstat
lapis in quo hic incisus est ti-
tulus:*

O	quid	tuae
Be	est	biae?
Ra	ra	ra
Es	et	in
Ram	ram	ram
	ii	

*Hujus vero occulti arcani-
que elogii est sensus:*

O	super	Be
QUID	super	EST
TUAE	super	BIAE
ter	RA	
ES	ET	IN
ter	RAM	
I	bis	

*Lege iterum sensumque per-
cipies: «O superbe, quid super-
est tuae superbiae? Terra es,
et in terram ibis».*

Misit GREGORIUS JOSEPH

JOSEPHUS ET ELEPHANTUS

ANDREAS: Amicus tuus affirmat te ele-
phantu similem esse.

JOSEPHUS: Res me admodum juvat...
Ubi eum videro, ictu proboscidis dona-
bo...

Barbastri. GREGORIUS GAÑAN

.....C.....	1 Contineo
....O....	2 Movebo
..., N ...	3 Acies (gen. plur.)
.. J , .	4 Flecto
.. U ..	5 Tergum (abl.)
.... R ...	6 Demonstro
.... A	7 Damnatio
.....T.....	8 Angustiis
..... I	9 Accedi
.... O	10 Sacrificat
Barbastri.	JULIUS A. MARQUÉS

EXEMPLA TRAUNT

Puellae in chirophano jacenti medicus:

—Oculos clade —inquit— pulchella, nam dormiendum tibi est.

Cui illa admirans:

—Ego nocte quidem dormio, nunquam vero interdiu.

Medicus autem iterum iterumque jubet. Tandem puella acquiescit, sed:

—Ego —inquit— priusquam cubitum eo, caelorum Reginam laudo et invoco; nunc quoque facultas idem faciendi sit mihi.

Doctore annuente, candida et innocens puella, manibus ante pectus junctis genibusque flexis, ter Salutationem Angelicam pie dixit. Qua finita, statim super chirophanum sese stravit et sponte oculos clausit.

Unus e circumstantibus, qui multos annos Dei oblitus vitam agebat, lacrimans cucurrit ad spiritalem medicum, ad sacerdotem, qui ejus animam curaret eumque Deo reconciliaret.

PETRUS MIGUELEZ

Samis

e IV latinitatis anno

Quare galli et gallinae dum aquam potant sursum spectant

Quondam, cum sol magno aestu incaseret, gallus, siti cruciatus, ex cohorte aquam potandi causa exivit.

Postquam longum fecit iter et jam siti moriturus erat, ad fontem venit ubi permagnam sitim sedavit. Sed dum summa voluptate babit tegula ex tecto casu cecidit; quae cum in capite letale vulnus ei inferret, statim animam propter magnitudinem vulneris efflavit.


Haec animadvertis domina gallina amare galli mortem doluit. Postea vero, filiis congregatis, consilium hoc optimum dedit:

—«Ubi biberitis, sursum spectate, ne quod gallo nostro accidit, vobis quoque accidat...».

Ideo cum gallinae vel galli aquam potant, semper ad caelum spectant

STEPHANUS M. ESONO
Guineensis alumnus.

IN VALETUDINARIO



Injectionum ministra: Citatissima vivimus aetate, raptim agendum aliis, cito, aliis ingrediatur!

(Ex ephemerede CCC).

—Cum pater meus laborat omnium admirationem movit.

—Quod officium ergo gerit?

—Dentifex est...

A. GRACIA

AD SALTUM EQUI

O	QUE		CER	SPEC	CU
	SA		LOS		VIX
PER	BAR	NUS	CAU	O	TA
VO	CE	LI	BA	LAC	TI
IL	VUL	SPAR	RE	CU	UM
GIT	MIT	LUM	TE	BUS	BRUM

ΧΑΙΡ' ΑΣΤΡΟΝ ΘΑΛΑΣΣΗΣ

C. Aramendia
C.M.F.


4 voc. aeq.

VULPES ET FELES

Colloquuntur vulpes et feles. Illa multum gloriatur de dolis, quibus genus suum abundet. Feles autem jactationem quiete auscultat et respondet sibi unam dumtaxat esse artem, qua fidat, si quid discriminis subito exoriatur. Dum pergit confabulari et vulpes sexcentas fraudes, quas fecerit, infert, feles sonum advenientium canum percipit. Illico in arborem altissimam subsilit, cum vulpes dolis destituta a canum turba cincta dilaceratur.

N. MANGEOT

TRIANGULUS MAGICUS



Continens

Curam adhibe

Dico

Velum

Laedo

Quae
(lit. vers.)

Praepositio

SOLUTIONES

Cfr. PALAESTRA ADULESCENTUM
(m. decembri, a. MCMLXII)

Ad saltum equi (p. 434):
«Aliena vita in oculis habemus, a tergo nostra sunt».

Pecten Ovidianus (p. 480):
1. circumvelatur; 2. cape; 3 rati; 4 unda, 5. vana; 6. leve; 7. tunc, 8. rima.

Triangulus P O P I N A

(p. 481): O D O R O

P O N E

I R E

N O

A

BIBLIOGRAPHIA

Terenzio. Le Commedie: introduzione e traduzione di Alessandro Ronconi. Felice Le Monnier, Firenze. pag. XXVII - 320, 18 x 12.

Ampla atque eruditioris plena introduc-tio, exarata a claro Professore latinitatis A. Ronconi libro prostat (pp. VII XXVII). De re praecipua affertur bibliographia, atque Plau-tinae comediae in italicam linguam conver-sae exhibentur hoc ordine: *L'Andria* (*La ragazza di Andria*) (1-52). *Il condannato volunta-rio* (pp. 53-106). *L'Eunuco* (pp. 107-162). *For-mione* (pp. 163-218). *La suocera* (pp. 219-260). *I due fratelli* (pp. 261-312).

Uni culque autem comoediae brevis pro-logus, tamquam synthesis, innectitur; et non nullae in fine libri notulae rem intellectu fa-ciliorem reddunt. Hic liber ad illud pertinet corpus cui nomen BIBLIOTECA NAZIONALE, a claris viris Del Lungo, M. Barbi, P. Pancrazi olim directa, hodie autem a Professore Ron-coni.

Prokop. Anekdata. Griechisch-Deutsch ed Otto VEH. Ernst Heimeran Verlag, in Muen-chen.

En primum volumen e tribus in quibus in •Tusculana Editione• opus Procopii vulgabitur.

Jam vero ex operibus scriptoris Procopii, quod •Anekdata• inscribitur apud sapientes magni quidem momenti semper habitum est. Cum ipse libri titulus, •quasi Historiae se-cretae•, tum praesertim argumentum — id est illa in Belisariorum ejusque conjugem Anto-niam objurgatio, atque durissimae incursio-nes in Justinianum et Theodoram — animum scriptorum historicorum attentum in his in-quirendis reddiderunt.

Antiquitatis monumentum insigne, atque id peculiare, Procopii •Anekdata• sunt. Libri hujus modi tamquam corpus est textus gra-e-cus cum translatione germanica (pp. 5-257). Subsicitur copiosa appendix (pp. 258-325), ubi praefatione praemissa, subtili dicendi ge-nere agitur de scriptis procopianis, de natura et forma textus, de explicationibus in textum

grammaticis, historicis, geographicis, sociali-bus. Et nominum propriorum explicazione to-tum •Geheimgeschichte des Kaiserhofs von Byzanz• opus finitur.

A. MARQUÉS, C. M. F.

LALOUP, JEAN — NELIS, JEAN. — *Dimensiones del Humanismo contemporaneo.* Cultura y Civilización. Iniciación al humanismo histórico. Volumen III. Ediciones Dínor, San Sebastián 1962, pag. 270, 19 x 12'5.

Primi voluminis hujus operis inscriptio: «Homines et machinae»; secundi: «Commu-nitas hominum»; hujus extremi: «Vitae cultus et humanitas». Totum inter se conve-niens, amplum, absolutum. Jam duo prima volumina lectores nostri norunt.

Hoc vero duas in partes dividitur: I. Ci-vitatum seu humanitatris formae (*civilizacio-nes*) in historia (pp. 17-124). II. Historia in formis civitatum (pp. 125-255). Prima autem pars in tria alia capita dividitur: 1. Constan-tia formae civitatis (*genesis, elementa, condi-iones, evolutio biologica*). 2. Cultus et socie-tas (*progressus sociales cultus, aspectus cul-tus superiores, vinculum sociale selectionis*). 3. Religio et civitatum (*relationes historicae*).

Alteri etiam parti tria sunt capita: 1. Ad philosophiam historiae (historiae notio, histo-riæ interpretatio, theoria Caroli Max, theoria Arnoldi Toynbee). 2. Ad theologiam historiae (historia et religiones, Christus et historia, Ecclesia et historia, delineationes schatologi-cae). 3. Ad humanismum historicum (chris-tianus in historia, paedagogiae externe, inter-humanismi genera occurrus, occursus instru-menta)

Ex praefatione, introductione, conclusio-nibusque generalibus aptius clarissimorum auctorum propositum explicatur in hoc magno opere intellegendo.

Est quod claris viris Victoriano Ruilope et López de Munáin atque officinae librariae cui nomen •Ediciones Dínor• quam maximis cumulemus laudibus.

PHILOPONUS, C. M. F.

VRETSKA KARL. — C. *Sallustius Crispus. Invective und Episteln*. Herausgegeben, uebersetzt und kommentiert von Karl Vretska. Band I: Einleitum — Text und uebersetzung (pp. 120). Band II: Kommentar — Wortindex zur Invective (pp. 270). Carl Winter-Universitaetverlag. Heidelberg 1961.

Opus sane magnum de «Sallustio minore». Propositum clari Professoris C. Vretska universum C. Sallustii Crispī commentarium in lucem edere. Primo autem in volumine, introductio, textus, conversio germanica, explicaciones notaeque in Invectivam et Epistulas.

Secundo vero in volumine, brevi praemissa praefatione, hic operis cursus: Commentarium in Invectivam (pp. 9-62); commentarium in antiquorem Epistulam —quae est Epistula II— (pp. 63-184); commentarium in priorem Epistulam —quae est Epistula I— (pp. 185-252); index verborum quae in Invectiva reperuntur (pp. 253-259); vocabula atque res (pp. 260-270).

Hilibrī summae sunt investigationis in scripta minora insignis historici C. Crispī Sallustii. Ratione atque via «scientifica», eaque prorsus critica, ad res minutissimas enucleandas accedit peritus criticae litterariae magister C. Vretska. Nullus, opinor, scriptor ita ample et erudite de «Sallustio minore» conscripsit. Utinam commentaria in magna Sallustii opera mox edantur.

A. MARQUÉS, C. M. F.

MITTELLATEINISCHES WÖRTERBUCH, bis zum ausgehenden 13. Jahrhundert. I Band. Lieferung 5: *anginna - applico*. C. H. Beck'sche Verlagsbuchhandlung, München MCMLXII. Col. 641-800.

Lexica et glossaria mediae et infimae latinitatis a doctis viris apud nonnullas Europae nationes jam diu apparati legentibus notum est: in quibus recensentur Lexicon mediae et infimae latinitatis Polonorum, Novum glossarium mediae latinitatis [Copenhague], Mediae latinitatis lexicon mitus [Leiden], Glossarium mediae latinitatis Cataloniae [Barcinone], cet. Fasciculum vero JV hujus lexici «Mittelateinisches Wörterbuch» vocabula complectitur quae inter *anginna* et *applico* interjacent.

Qui haec densa folia attento animo perlegat ac vel leviter evolvat multa inveniet verba, quae deinde secum reputet oportet. Nam aut novi proferuntur sensus antiquis scriptoribus ignoti, aut nova referuntur vocabula ad veterum normas facta vel alitis adhibitis rationibus: quae et nascentes linguis «romanicis» nuntiant et intimam latini sermonis virtutem in novis cudendis vocibus patefacti.

Quae sequuntur voces recolas velim: zenith (s. v. «antipodes»), antipersicum, antipharmacum, vincetoxicum, antitotum, antinomium (= argentum vivum), antimonachus, antifacatum (= donum nuptiale), antebrā, anisum, anisium, animula, animella, anima (= fermentum, tinctura, argentum vivum, spiritus; anima vini = aqua vitae), angulus, apertio, apertitus, apex.

Antequam igitur ad alios fontes accedamus ad nova fingenda aut aptanda vocabula, haec consulamus glossaria in quibus saepe lapilli reconduntur aurei.

J. M. MIR, C. M. F.

BOETHIUS, AXEL. — *The Golden House of Nero. Some Aspects of Roman Architecture* The University of Michigan Press, Ann Arbor, pag. 195, 28'5 x 21'5.

Quo libro disserit cl. scriptor de historia architecturae apud Romanos, a pristinis casis saeculi octavi ante Christum natum, usque ad medium aevum. I. De antiquissimis Romanorum domiciliis, usque ad Etruscorum tempus (pp. 3-26). II. De domo hellenica Italica, ad Imperatorum tempora (pp. 27-83). III. De aurea Neronis domo (pp. 94-128). IV. De architectura domestica aetatis Imperii ejusque momenti ad artem aedicandi, Medio Aeo (pp. 129-185).

Centum et amplius tabulae pictae libro adjunguntur, quem mirum in modum et illustrant et honestant. Doctor A. Boethius viginti annos Professor fuit Archaeologiae Classicae in Universitate Gothenburgensi, in Suecia, ejusdem terra patria. Qui et Director existit Instituti Sueci Studiorum classicorum in Urbe Roma. Multos libros et lucubrationes conscripsit de historia romana et graeca. Inter quos hic in primis in honore habendus est. I. GONZÁLEZ, C. M. F.